



ANIDHARDUS

THEOLOGICU



363176

232.931

N 59

320088



40000363176

24-3

6155

X



EXAMEN  
THEOLOGICVM.

QUATVOR PROPOSITIONVM,  
quorundam Authorum Anonymorum, quibus  
aspergunt maculam cultui, festo, obiecto, &  
sententiæ piæ de Immaculata San-  
ctissimæ Dei Matris Virgi-  
nis Conceptione;

NECNON CONSTITVTIONI S. D. N.  
Alexandri VII. octavo Decembr. anni 1661.  
in eius favorem expeditæ. 124468

ELABORATVM

A R. P. IOANNE EVERARDO NIDHARDO  
Societatis Iesu Theologo, Serenissimæ Hispaniarum Regina  
Mariæ-Annæ Archiducissæ Austria à Sacris Confes-  
sionibus, & Deputationis pro Immaculata  
Conceptione Consultore,

*Dei gratia  
de rebus  
bono*



CVM LICENTIA SVPERIORVM.

Impressum Matriti apud Didacum Diaz à Carrera,  
Ano M. DC. LXV:



AD S. D. N. ALEXANDRUM VII.  
Divinà providentià Papam.

BEATISSIME PATER.



VO zelo, ac solitudine SANCTITAS  
TVA ad afferendam, tuendamq; Magnæ  
Matris ab originaria labe innocentiam  
feratur semper, diebus præteritis speciali  
prorsus favore manifestasti, quando Sere-  
nissimi Hispaniarum Regis Catholici,  
ipsiusq; Regnorum, & Ecclesiarũ Hispaniæ supplicibus vo-  
tis ammens veterem Christi fidelium erga hoc Mysteriũ, pie-  
tatem sensum, & cultum, eiusdemq; obiectum, necnon, & tuo-  
rum Prædecessorum decreta intentionem, ac mentem in illis  
cõtentã amplissimo diplomate, & providè innouasti, & aper-  
tius declarasti, aquilinã acie perspicuens in Mariano, & lim-  
pidissimo hoc innocentiæ sole maculam non esse ullam. Pote-  
rat sanè, debebatque, absteris cælo nubibus, qui Marianis  
hactenus radijs offecerant, turbulentum etiam mare consti-  
gentium procellarum componere, optatq; malitiã Petri na-  
uigiũ exhilarare, nisi latentes, nescio quibus ab antris exor-  
ti turbines Anonymi quidam, originalis B.V. integritatis  
adversarij, vetitis, ab Apostolica Sede propositionibus, non  
minus ausu, quam astu, ac falsitate plenis, novos denuò  
fluctus eleuassent, eò toto nisu collimantes, ut, & fideles  
concessis A TVA SANCTITATE favoribus frustra-  
rentur, & planiores animi, doloso hoc suo molimine redde-



rentur perplexi. Quae fraudulenta propositiones, cū ad Regias manus peruenissent, dignata est Maiestas sua per speciale mihi decretum iniungere, vt eas discuterem, & si quid in eisdem fortè huic MYSTERIO, intentioni SANCTITATIS TVÆ, piorumq; in Virginem animo contrarium reperissem, calamo, non perfunctorio refellerem. Parui, vt debebam Regio mandato, idque tantò libentiùs, quantò me amplius Matri Virgini, Sediq; Apostolicæ, non solum communi mei ordinis studio, verùm, & alijs titulis compluribus obertum agnouit. Vnde breue hoc scriptum Regiæ Maiestatis iussu, à me Latino idiomate concinnatum, mox in linguã Hispanicam translatum, ac iustis de causis primùm typis vulgarum vnà mecum ad beatissimos SANCTITATIS TVÆ pedes aduoluo: demississimè supplex, vt si quidem in hac breuiuscula lucubratione TVÆ BEATITVDINIS mentem affectus sim, Regiisque, ac piorum votis, pro originali Deparæ innocentia stantium responderim benigno oculo probes, ac tuearis: Sin autem minùs, delicto veniam humillimè exorantem, pro potestate absoluas. Interim vine diù, cõtiùs Ecclesiæ bono SANCTISSIME PATRER, & quam ab obrectatoribus tam eximie vindicasti Virginem ab omni labe immunè, fide Diuinà credere nos quã primùm iube,

BEATITVDINIS TVÆ

Pedibus prostratus.

Ioannes Everardus Nidhardus

E Societate Iesu.

LL

## LICENCIA DEL ORDINARIO.

**N**OS el Licenciado Don Garcia de Velasco, Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, damos licencia por lo que à Nos toca, para que se pueda imprimir el Tratado Latino, compuesto por el Reverendissimo Padre Iuan Everardo Nidhardo, Confesor de la Reyna Nuestra Señora, Examen Teologico, de quatro proposiciones de ciertos Autores Anonymos, atento està aprobado por mi orden. Dada en Madrid a primero de Abril de mil y seiscientos y sesenta y cinco años.

Lic. D. Garcia de Velasco.

Por su mandado.

Pedro Palacios

Notario.

---

FACULTAS R. P. VISITATORIS,  
& Vice-Provincialis Prouinciæ Toletanæ.

**F**Ranciscus Franco Visitator, & Vice-Provincialis Societatis Iesu, in Prouincia Toletana, potestate, ad id Nobis facta, ab Admodũ R. P. Ioanne Paulo Oliva, nostræ Societ. Vicario Generali facultatè concedimus, vt Tractatus (cuius titulus est, Examen Theologicum, quatuor



tuor propositionū, quorundam Anonymorū, quibus aspergunt maculam cultui, festo, obiecto, & sententiæ piæ de Immaculata Conceptione Sanctissimæ Dei Matris Virginis, necnon constitutioni SS. D. N. Alexandri VII. octavo Decembris 1661. in eius favorem expeditæ: elaboratum à R. P. Ioanne Everardo Nidhar-do Societatis Iesu Theologo, Serenissimæ Hispaniarum Reginae, Mariæ-Annæ Archiducissæ Austriæ, à Sacris Confessionibus, & Deputationis pro Immaculata Conceptione Consultore) visus, recognitus, & approbatus à quatuor Gravibus, & Doctis PP. nostræ Societatis, possit typis mandari. In quorum fidem has nostras litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas. Dedimus Matrivi die 24. Iunii anno Dñi 1662.

Franciscus Franco.

ERRATA.

Fol. 1. pag. 2. fieri, lege fieri. Fol. 2. pag. 2. favorē, lege favorem. F. 8. repululabant, leg. repululabant. F. 9. pag. 1. queritur, leg. queritur. F. 10. infalibilis, leg. infallibilis. F. 12. cōmiscuntur, leg. commiscuntur. F. 14. petitionē leg. petitionem. F. 17. cepti, leg. cepti. F. 18. pretextu, leg. prætextu. F. 45. colocādo, leg. collocādo. F. 51. cātes, leg. spectātes. F. 62. locutus, leg. locutos. F. 85. falsimum, leg. falsissimum. F. 95. falcidum, leg. flaccidam. F. 104. manut, leg. mavult.

Hic liber inscriptus, Examen Theologicum quatuor propositionum circa festivitatem Immaculatae Conceptionis B. M. V. seu Bullam S. D. N. Alexandri VII. Pontificis, ex mandato Regis dēpti, shis mēdis, fideliter excusus est. Dat. Matrivi. die 9. mensis Iun. anno 1665.

Lic. D. Carolus Murcia de la Lanza

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Est, benevole Lector, de quo te præmonitū amicè velim. Et primò quidem, optimum te, & cupio, & suppono, qui nimirum (vt scitè dixit S. Hilarius lib. 1. de Trinitat.) *dictorum intelligentiam expectet potius ex dictis, quàm imponat; retulerit magis, quàm attulerit. Neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Facile enim, & dictis, & significatis præiudicat, qui horum intelligentiam ex contextu capiendam non expectat.

Secundò, vt dum cætera per legis, ea, quæ prima parte tota, præsertim verò §. 7. huic operi præstruximus præoculis habere velis. Communia quippè sunt, & fixa in scholis, quibus proinde, & nos nitimur securi, & tu exindè nullo negotio dissolvere poteris omnè, qui fors occurrerit nodum.

Tertiò me hoc loci ex instituto, nec propugnare sententiam piam, nec bellum inferre opinioni contrariæ: sed accessorie duntaxat, quatenus videlicet ad exactam harum propositionum examinationem, tam illius veritas, quàm huius falsitas necessariò, sed cursim, erat manifestanda.

Quartò censuris, quas subindè assigno, non opinionem affirmativam, sed quatuor illas

Ano-

Anonymorum propositiones noto. *Falsam* quidem illam communi Theolog. sententia appello, quod, vt norunt ijdem, censura non est.

Quintò aduerto opusculum hoc Idiomate primùm Latino à me esse cōcinnatum, ac mox in Hispanum translatum, at hoc priùs, quam illud typis datū esse, quod, & *Regis imperium* urgebat, & serpēs illarum propositionum (linguà Hispanà evulgatarum) malum id exigebat.

Denique sextò, hanc lucubratiunculam esse opus, & laborem non ampliùs, quàm vnus circiter mensis; quod id circò dixerim, vt intellectu temporis breuitate faciliùs ignoscas imperfectionibus operis, frequentiori vtiquè limæ egentis. Proindè tu æqui bonique cōsule, cense arbitrio tuo, & corrigere emendari paratum.

1

✱

QUANDOQVIDEM Authores Anonymi Propositionum, quas præsentì scriptione discutiendas suscepimus, ex ipsa Pontificia Bulla aduersus illam arma sumpserunt, solà astutia, ac dolo instructa; nostri officij fuerit, astui, subdolæ machinationis scutum inexpugnabile veritatis opponere, atque eadem Constitutione, tamquam muro impenetrabili occultos aduersariorum ictus retundere. Est enim hæc turris illa Davidica, & præclarus Marianæ innocentiae typus, è qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium. Vnde in fronte eam præfigimus, vexillum S. Romanæ Ecclesiæ, suorumque Pontificum ante pugnam explicantes.

SANCTISSIMI D. N. ALEXANDRI  
Divina Providentia PAPA VII.

Innovatio Constitutionum, & Decretorum in  
favorem sententiæ asserentis, animam Beatæ  
Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpore  
infusione à peccato Originali  
præservatam fuisse,  
editorum.

A

ALE-



ALEXANDER PAPA SEPTIMVS,  
Ad perpetuam rei memoriam.

**S**OLLICITUDO omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos, & vigilantes, ut scandala que inter Fideles pro humane nature corruptione, & fragilitate necesse est, ut veniant, quantum fieri potest paucissima exoriantur, utque exorta quàm celerrimè, & quam diligentissimè amoveantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præsens asserti labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis officij debito, & damnum summopere dolemus, & discrimine assidue vrimur.

¶ Sanè vetus est Christi Fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sententium, eius animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Deo gratia, & privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filij, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemniter ritu colentium, & celebrantium.

¶ Crevitque horum numerus, atque huiusmodi

cul-

2  
cultus post editas à sel. rec. Sixto Papa IV. prædecessore nostro in eius commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit.

¶ Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religiosum Ordinem, & Confraternitatis, ac concessus ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academicis ad hanc sententiam, iam ferè omnes Catholici eam complectantur.

¶ Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima fuerit Virgo Maria concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones, rec. mem. Paulus P. P. V. etiam prædecessor noster vetuit horum opinionem præfate sententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari.

¶ Quàm prohibitionem pia mem. Gregorius P. P. XV. similiter prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit.

¶ Mandans insuper in favorem eiusdem sententiæ, ut in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publicè, quam privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

¶ Nihilominus, prout venerabiles fratres Episcopi



cepti ferè cunctis Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filij nostri Philippi eundem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludouicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatae fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earundem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariae illius opinionis assertores contra praefatas prohibitiones, tum priuatim, tum publicè praefatam sententiam, aut impugnare, aut vellicare, & fauorem à Romanis Pontificibus cultui, & festo secundum illam praestitum, ita interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiae, & cultui iuxta illam Beatæ Virginis exhibito fauere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando; unde offensiones, scandala, & iurgia, quibus obuiare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. nostri praedecessores perdurant adhuc, & ex occasione eorundem aduersantium maiora his incommoda in posterum prudenter, & merito timentur.

¶ Quapropter super his tam praefati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, eiusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicare fecerunt.

¶ Nos cõsiderãtes, quod Sacta Romana Ecclesia de intemerata, semperque Virginis Mariæ Conceptione

tione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinauit iuxta piam, deuotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. praedecessore nostro tunc emanauit; volentesque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo fauere, necnon tueri pietatem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, praeueniens scilicet Spiritus sancti gratia, à peccato originali praeservatam; cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgijs, amotisque scandalis, conseruare: ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, & praecipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiae athenensis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, & à peccato originali praeservatam fuisse, necnon & in fauorem festi, & cultus Conceptioni eiusdem Virginis Deiparae secundum piam istam sententiam, ut praesertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & penis in eisdem

Consti-



Constitutionibus contentis obseruari mandamus.

¶ Et insuper omnes, & singulos, qui prefatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut fauorem per illas dictae sententiae, & festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem reuocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quouis pretextu, etiam definibilitatis eius examiuandae, siue sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, siue Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quouis pretextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quouis excogitabili modo differendo, ausi fuerint, praeter poenas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiaccere volumus, & per praesentes subijcimus.

¶ Etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua, & passiua in quibuscumque electionibus, eo ipso absque alia declaratione priuatos esse volumus.

¶ Necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione.

¶ A quibus poenis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolui, aut super ijs dispensari possint.

Nec

¶ Necnon eosdem alijs foris nostro, & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiaccere volumus, prout subijcimus per praesentes, innouantes Pauli V. & Gregorij XV. superius memoratas Constitutiones, siue Decreta.

¶ Ac libros in quibus prefata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium reuocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus, sub poenis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus.

¶ Veramus autem Sixti IV. Constitutionibus inherentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus.

¶ Quin potius contrariam illam opinionem haeresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, praeter poenas, quibus eos subiecit Sixtus IV. aliique praedecessores nostri Romani Pontifices, grauioribus alijs po-



is subijcimus, quas in contrasacientes huic nostrae Constitutioni superius infliximus.

¶ Volentes quod contra huius nostrae Constitutionis transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & Seculares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Secularis, ut præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, alijque locorum Ordinarij, quam hæreticæ prauitatis vbiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirent, atque in eos strictè animaduerant: Nos enim ipsi, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac panis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem ipsidem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire districtè præcipimus, & mandamus.

¶ Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & litteris Apostolicis quibusvis personis quantūcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdicti, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis.

¶ Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de  
verbo

verbo ad verbum inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum seriè specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

¶ Vt autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrendi præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinarijs, ac eorum Vicarijs, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diocesis, vel districtus prædicatoribus, & alijs, quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætere, aut se contra præmissa valeat excusare.

¶ Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentis litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio, & publicatio ita omnes, & singulos, ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis,  
B scrip-



scriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus litteris adhiberetur si ostensa, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die viij. Decembris MDCLXI. Pontificatus nostri anno septimo.

### S. Vgolinus.

Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, Indictione 13. die vero 11. mensis Decembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno septimo, supra scriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basilicarum S. Ioan. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & in acie campi Floræ, ut moris est, per me Andream Castrucium prælibati Sanctiss. D. N. PP. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Petrus

Paulus Desiderius Curs.

---

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Camera  
Apostolicæ. MDCLXI.

PARS

# PARSI 6

## PROLEGOMENA.



ONSULTÒ hic aliqua præmittuntur, ex quibus, tum mens Pontificiæ Cõstitutionis, tum piæ sententiæ, cultus ac festi, obiectique eorundem probabilitas, aut certitudo amplius elucescat: ita quippè adversæ partis dolosæ calliditati facilius obviabitur, & ad reliqua promptius cognoscenda, plana lectori benevolo via sternetur.

### §. I.

*Tres illæ Propositiones examinandæ referuntur.*

**A**Ntequàm primarium intentionis nostræ Scopum attingamus, ut ipsas Propositiones, quæ nobis ad suscipiendum hunc laborè ansam dederunt, penitus inspiciamus oportet: quo ex sincero earum intuitu clarè pateat, quàm sinistra, atque detorta ea sit interpretatio, quàm Adversarij ex Cõstitutionibus Apostolicis eruere conantur.

¶ Prima est, quod cultus, ac celebritas, quàm Ecclesia Catholica defert, & exhibet Im-

maculatæ Conceptioni Matris Virginis, ſit pietatis, vel pia: eadem ratione, ac modo, quo dicitur, & eſt *pi.* ipſa ſententia, dictum Myſterium propugnans, ſic enim loquitur in ſua Bulla Põtiſex per hæc verba: *Secundum piam ſententiam.* Planè, vt ſicut hæc ſententia intra pietatis limites ſe hætenus continuit, ita ipſe cultus, dictaq; celebritas, pietatis terminos nondum exceſſit.

¶ *Secunda* propoſitio eſt, quod dicta Bulla ſit ſubreptitia; quod eſt dicere: vel fraude illum Pontificem, vel abſque ſufficienti ſcientia, & cautela eam evulgaſſe.

¶ *Tertia*, quod nihil in Bullam delinquere, neque quidem contra clauſulam (*indirectè*) ibi præceptam impingere cenſeatur is, qui ſub Bullæ declarandæ prætextu aſſereret, etiamnum firmis pedibus conſiſtere opinionem contrariam, eo quod illam interius ſentire adhuc unicuique integrum ſit.

¶ *Quarta, & accessoria*, quod cauſa Immaculatæ Virginis Conceptionem propugnantiũ eo loco ſit relicta poſt Bullã, quo antea fuerat, eo quod dicta Conſtitutio Pontificia nihil diſponat novi, novi contineat nihil.

**Q**Vandoquidem non deſunt hoc tempore præpoſtero zelo inquieti animi, qui velut ex inſidijs, per ſiniſtras interpreta- tiones vigorem Bullæ Sanctiſſimi Rom. Ponti- ficis Alexandri VII. enervare conantur, nec eſſe eſt maturum providere malo remedium, ſer- pentique per occultas venas periculofæ agri- tudini (& ſi plerorumque Fidelium affectui mi- nimè timeamus) efficacibus antidotis obviare. Deſerentes enim planam veritatis ſemitam, in divortia hucvſque ſemper, ac devia Adverſarij declinarunt, excogitando terminos, ac obli- quos verborum ſenſus, aut novitate obſcuros, aut latente æquivocatione ambidextros, qui- bus veritati ſuffragari viderentur cum eam eli- derent, acceptaque ſemel in genuinã vocum ſignificationem graſſandi licentia, ad ipſam ve- ritatis lucem, quacunque occasione obſcuran- dam viam aperirent. Rectè ſenſit ille qui dixit: verba æquivoca ſunt falſitatis refugia. *Soli Deo* gloria. Ethnicus, Perſa, & Chriſtianus homo, æquali voce, ſed differente ſignificatione eſſe- runt. Vnde qui S. Athanaſium, Baſilium & Am- broſium, præcipuè contra Arianos inſpexerit,

inveniet hoc dolo nihil apud Sectarios frequen-  
tius extitiffe.

¶ Poſtquam ergo Gregorius XV. omnem  
aliam vocem, præterquam *Conceptionis*, in Sacro-  
ſancto huius feſti Sacrificio, & divino officio ti-  
tularem, exulare iuſſiſſet, ſua ſtatione repente  
exviti Anonymi Libellatores Romani, cū aliū-  
de probe noviffent, vocabulum illud ad vſque  
Gregorij tempora, fuiſſe Immaculate Concep-  
tionis proteſtativum, aliam rationem inierunt  
ſua Caſtra inſtaurandi, nimirum ad ſtruendas  
voci *Conceptionis* inſidias confugerunt, quo & re-  
centem cenſuram effugerent, & ab antiqua ſua  
teſſera minimè deviant. Quibus cū neque  
Scripturas ſacras, neque Eccleſiæ Patres ſuffra-  
gantes reperiffent (hic enim conſtanter hæc-  
tenus aſſeruerūt, præſervationis eſſe totū illud tē-  
pus, quod erat primæ formationis creaturæ in  
vtero, vſque ad infuſionem, & primum inſtans  
creationis animæ, vltra quod omne reliquum  
deinceps, nec erat, nec dici poterat *Conceptio*: ſed  
vita iam continuata) hinc effugium aliud exco-  
gitaverunt, intra, extraque Eccleſiam hæc-  
tenus inauditum, nimirum quod Gregorius XV. qui  
vnum huius vocis *Conceptio* vſum præcepit, ſig-  
nificationem illius mutarit, ſeu vagā indeter-  
minatamque reliquerit, prorfus vt hæc vox

Con-

*Conceptio*, non tam ſignificet determinatè primū  
Creationis inſtans, animæque in corpus infuſi o-  
nis, quàm indifferentè, ſecundū, tertium,  
quartum, & mille alia inter media vſque ad  
ſanctificationem, ſeu gratiæ infuſionem.

¶ Meritò ſe ſcriptis libris oppoſuere plu-  
rimi, huic non minus ridiculo, ne dicam proter-  
vo Adverſariorum effugio, propter abſurdas,  
plenaſque præiudicijs deformitates in eius mo-  
di vocis mutatione cōtentas, & a mente Ponti-  
ficis omnino alienas, vt in D. Antonio Calderon  
perſpicuè videre eſt. Quis enim ſanæ mentis ſi-  
bi perſuaſerit, ſanctiſſimum iuxta ac ſapientif-  
ſimum Pontificem Gregorium, voci (que Sco-  
pus eſſet ſuæ Cōſtitutionis, quamque ſub hoc  
ſolo *Conceptionis* nomine vſurpari præcepiffet)  
novā voluiſſe ſignificationē attribuere, & hoc  
toti Eccleſiæ noluiſſe conſtare: cum optimè  
noſſet voces interioris animi ſigna eſſe, nec in  
alio ſenſu quā communis vſus admittat debere  
vſurpari, alioquin Babylonicum chaos mundo  
inveſtū, & ſumma imis permixtū iri? Profecto,  
vt eam vocem ab antiqua, vera, atque ab omni-  
bus recepta ſignificatione deturbaret, & in aliā  
prorfus æquivocam tranſmutaret, tanquam  
Paſtor vniverſalis Eccleſiæ in conſcientia obli-  
gabatur id ipſum fidelibus, & Eccleſiæ palam  
fa-

facere; probaturque, & evincitur iſdem argu-  
 mentis, ac rationibus, quæ à Libellatoribus Ro-  
 manis ad perſuadendam huius vocis mutatio-  
 nem adducuntur, quibus coactū fuiſſe Pontifi-  
 cem ad id mediſ descendere præſeferunt dicti  
 Libellatores, ne Eccleſia porrò ſuſtineret ea  
 damna, quæ ex nō mutata vocis ſignificati-  
 one orta argumentantur, ſed ſi & Breve Pontificum,  
 & integerrimi Paſtoris mentem, candido ocu-  
 lo legere voluerint, perſpicient profecto, non  
 ſolū de inaudita hac vocis ſignificatione, nec ſō  
 niariſſe, ſed potius illam in ſua antiqua propriæ  
 ſignificationis poſſeſſione ſtabiliviſſe, comple-  
 tæ Virginis innocentie proteſtativā, tanquam  
 opportunum ſcandalis remedium, quæ veluti  
 Herculis hydra, novis in dies capitibus repulu-  
 labant, ex vocis ſanctificationis aſtuta ſubſtitutio-  
 ne, quæ non obſcurè ſignificabatur culpa in Vir-  
 gine, præcedens gratiæ inſuſionem. Et hoc qui-  
 dem debemus nobis tanto certius de mēte Gre-  
 gorij polliceri, quanto clarius illi conſtabat  
 Sixtum IV. ſuum prædeceſſorem, iam tūm ana-  
 themate ſubieciſſe eos, qui dicere auſi ſunt, ce-  
 lebrari ſolūm ab Eccleſia ſpiritualem Conceptionē  
 Virginis, quo vocabulo ſanctificatio ab illis in-  
 telligebatur, tametſi nunquā ſanctificationis no-  
 mine ſpiritualis Conceptio rectè dici potuit, aut  
 dicta

dicta fuit. Sanctificatio enim, nec per Scripturā,  
 nec vllum Patrum, ſpiritualis Conceptio eſt, ſed na-  
 tiuitas ſpiritualis ex Deo, vt ex Sacro Textu paſ-  
 ſim videre eſt, ideoque per Baptiſmum ex Deo  
 nati filij Dei appellantur, iuxta illud S. Ioannis:  
 Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, ſed ex  
 Deo nati ſunt, non autem dicuntur a Deo, aut ex  
 Deo concipi ſanctificati, ſed naſci: quomodo igi-  
 tur Adverſarij natiuitatem ſpiritualem in Conceptio-  
 nem, cūm palmarie adeò veritatis iniuria aude-  
 bant convertere, & contra expreſſa Scripturæ  
 ac SS. Patrum teſtimonia hanc novam vocem  
 architectari? Nimirum non poterant aliter in-  
 tentatum Gregorij telum evadere, niſi eam vo-  
 cem, quæ ſe iugulari ſentiebant, in alienum ſen-  
 ſum detorquerent, ac primum inſtans Conceptio-  
 nis Virginis, in longum extendentes, id, cūm vi-  
 ta deinceps continuata confunderent. Auſus cer-  
 tē tam proiectus, vt is, qui diem, tenebras perin-  
 de, ac lucem indifferenter ſignificare aſſereret;  
 vnde mereretur explodi potius, ac irrideri, quā  
 ſcriptione, & impugnatorio calamo refelli.  
 Sed quia ſapientibus, ac inſipientibus debito-  
 res ſumus, vt omnis eximatur candidioribus  
 animis de hac materia ſcrupulus, ipſiſque Ad-  
 verſarijs quævis evadendi rima præcludatur,  
 pro modulo noſtro omnia eorum latibula ita

executiemus, vt vbi ſe porrò oculant, angulus nullus apertus relinquatur.

¶ Deiectis igitur per præſentem S. D. N. *Alexandri VII.* Cõſtitutionẽ à ſua ſtatione diſſis Adverſarijs, omni vocum æquivocatione planiſſimè erraſa; ex interempti Draconis dẽtibus, repentè nova Cadmi ſoboles, Anonymi quidam ad arma proſiluerunt, genio, prioribus, quàm ſimillimi, vt potè qui rurfus nodum in ſcirpo quærerent, & de quibuſdam vocibus in hac nova Bulla frequentius à Pontifice uſurpatis quaſtionem moverent.

¶ Et primò quidem à limine in *Pietatem* impegerunt (de qua multoties in ſua Cõſtitutione Pontifex *Alexander* mentionem infert) multa ſuper hac voce conſtituentes, quæ *Pietatem* minimè ſapiunt, quàm ſane, ſi iſſis integrum foret pro arbitrio, vt alia attondere, ne illi dormientem Samſonem facile in vincula conijcerent, oculosque, vel iſſi veritati eruerent.

¶ Idque tanto ſecurius, quanto in hiſ ſuis moliminibus procedunt occultius, iſſ perſimiles contra quos quæritur, S. Hieronymus ad *Ruffinum*: Sic locutus, *Noviſſimum diſſe malitiæ genus, accuſare, quod prædi timeas, ſcribere quod occultes.*

Quare

¶ Quare vigilantius cum iſſ agere opus eſt, & priuſquàm iſſas propoſitiones, ſine vllò Authoris nomine clam ſparſas, & ab Sereniſſimo Rege Catholico nobis ad examinandum traditas aggrediamur, ad iſſam *Alexandri VII.* Cõſtitutionem, ac mentem, vt in titulo huius §. polliciti ſumus benevolam lectorem manu-ducere oportet, vt ibi deinceps tanquam ad pondus Sanctuarij, omnia Adverſariorum momenta appendere, atque ad infalibilis veritatis bilancem, quod rectum, quodve iniuſtum eſt, examinare poſſimus.

§. III.

*Notantur aliqua ſpecialia circa Bullam.*

**A**dmirabilis hæc Apoſtolica Cõſtitutio continet multa, & dignitate maxima, & veneratione digniſſima.

¶ Primò enim dicit Pontifex ſe hanc cõſtitutionem expedire tanquam uniuersalem Eccleſiæ Paſtorem, ac pro Gregis ſui incolumitate, & augmento iugiter intentum. Vnde ad hoc Breve ſanciendum impuſſum ſe ait ſollicitudine ſalutis omnium Eccleſiarum, necnon Apoſtolico zelo arcendi omnes ſcandalorum occaſiones, ob maxima, eaque graviſſima dam-

C2

na,

na, quæ accipientes perinde, ac dantes, eiſmo-  
di offenſiones involvunt: *Quorum nos pro noſtro  
Paſtoraliſ officij debito, & damna ſummopere dolemus,  
& diſcrimine aſſiduè vrimur.*

¶ *Secundò,* complectitur hæc Bulla tres  
potiſſimum partes. Eſt enim 1. nova Conſtitu-  
tio. 2. antiquarum innovatio. 3. eſt decretorū  
Sixti IV. Concilij Tridentini, Pauli V. & Gre-  
gorij XV. declaratio: intendiſſe nimirum ait  
in hiſ omnibus Prædeceſſores ſuos Pontifices,  
yti & Concilium, Immaculatā Virginis Con-  
ceptionem, ſeu præſervationē tueri, honorare,  
ac celebrare. Hoc ipſum ſemper iugi conſue-  
tudinē continuaviſſe Eccleſiam Romanam, &  
nunc ſentire *Catholicos fere omnes.*

¶ Eſſe novam Conſtitutionem inde manifeſtè  
patet, quia multa continet, in nulla alia, ex an-  
terioribus reperta, ab illiſ præcipuè verbis:  
*Sanè vetus eſt, &c. vſq; ad nihilominus. Nova eſt ite-  
rum ab illiſ verbis: In ſuper & omnes, & ſingulos, qui  
præſatas Conſtitutiones. Demum nova eſt ex hiſ: vel  
qui hanc eandem ſententiã, &c. Et prohibitorum li-  
brorū in quibus præſata ſententiã, feſtū, ſeu cultus ſecū-  
dum illam in dubium reuocatur. Quæ omnia à nullo alio  
Pontifice allegata, & conſtituta reperies. Alia  
de huius Conſtitutioniſ novitate in propoſi-  
tione 4. annotabimus.*

¶ *Secunda* pars principalis eſt q̄ uod ſit inno-  
uatio conſtitutionū Sixti IV. Concilij Trident.  
Pauli V. & Gregorij XV. & aliorum Pontifi-  
cum, vt conſtat ex Bullæ titulo, & inſcriptio-  
ne. Liqueſt etiam ex verbis illiſ: *Conſtitutiones, &  
Decreta, &c. innovamus.*

¶ Ex quo rectè concluditur, omnes con-  
ſtitutiones, omniū Pontificū, quæ aliquo pacto  
Feſto, ſententiæ, & cultui favorabiles ſunt, per  
prædictam *innovationem* in priſtinum vigorem  
reſtitui, aded, vt ſi fortè, vel per falſam earum  
intelligentiam, vel alio quovis modo quidquã  
à robore, & firmitate prima deperditum ſit,  
modo redintegretur, reſtituatur, & in primæ-  
vam illam, robuſtam, ac viridem obſervantiã  
reducatur.

¶ Eſt etiam *tertio* atteſtatio, ac eximia *De-  
claratio*, cū mentis Sixti IV. & Bullarum ipſius,  
confirmationiſ Concilij Tridentini, Pauli V.  
& Greg. XV. aliorumque Pōtificum; tūm etiã  
conſtitutionum ab ipſiſ in favorem ſententiæ  
feſti, & cultus editarum, in quibus eorum re-  
lucet animus, ac Paſtoraliſ conatus, hoc myſte-  
rium Immaculatæ Conceptioniſ pro viribus  
tuendi, ac defendendi. Præterea eſt quoque  
*Declaratio* animi, & intentioniſ Eccleſiæ Roma-  
næ, quã inſtituerit Feſtum Immaculatæ Con-  
cep-

ceptionis, & de quo obiecto illud celebret, ordinaverit proprium, ac ſpeciale officium, creatorum eo titulo Religionum, & Confraternitatum nomine cōdecorarit, enlargemente Indulgentiarum remunerarit: eſt denique *declaratio* animi, & ſenſus pervetuſtus piorum fidelium & antiquæ conſuetudinis, & nunc, *fere omnium Catholicorum*, cultum, & feſtū Immaculatæ Conceptionis celebrantium. Hæc enim omnia in hunc finem ab Eccleſia præſtita eſſe Pontifex teſtatur, vt pietas & cultus *Immaculatæ Conceptionis*, ſeu præſervationis B. Virgin. promoveretur amplius, ſtabiliretur firmius, atque ad eandem pietatem Fideles attentius afficerentur.

¶ Denique eſt *declaratio* ipſiuſmet Pontificiæ intentionis, ait ſiquidem: *Se velle Prædeceſſorum ſuorum exemplo favere, nec non tucri pietatem, & devotionem hanc colendi, ac celebrandi Beatiffimam Virginem præueniente ſcilicet Spiritu S. gratia a peccato originali præſervatam*. Quæ vniverſa, ac ſingula ita plana aperta que ſunt, vt explanatore non egeant ſed lectore.

¶ Et quia hæc pars graviffimi eſt momenti, in ijs omnibus, quæ Pontifex vniverſæ Eccleſiæ amplectenda, ſequenda, Divino cultu veneranda, declarat, ac manifeſtat, operæ pretium erit, hoc ipſum breviter apertius demonſtrare,

re, quanquam attento oculo per ſe ſit ita perſpicuum, vt probatione non egeat.

¶ *Declarationem* communiter vocamus, vt ex ipſa nominis etymologia patet, rei alicuius obſcuræ, aut dubiæ, aut malè intellectæ, aut diverſis interpretationibus obnoxia perſpicuam genuinam, ac veram manifeſtationem, ſive deinde reflexè addatur hæc vox *declaramus* ſive nõ provt ex dicendis infra §. 7. & 8. conſtabit.

¶ Sed hæc præſens Pontificia conſtitutio continet eius modi genuinam manifeſtationem rerum, quas non ſolum Adverſarij in dubiū traxerant, negaverant, nec ab Eccleſia, & Pontificibus celebrari, id quod noſtri aſſerebant, imò allatas impugnationes nobis, incommodare, ſibi favere, cum inſigni veritatis obſcuratione, Bullarumque Pontificiarum obliqua interpretatione pertinaciter cōtēdebāt. Ergo hæc conſtitutio aſſert veram, ac propriam declarationem, quæ à viro cordato, ac veritatis amante nequaquam poſſit in dubium vocari, vt infra §. 7. & 8. amplius conſtabit.

¶ Vt autem hæc planiffimè ante oculos ponantur, lubet audire quid Bulla aſſerat, quid Adverſarij ante ipſam. Affirmant Libellatores Romani Eccleſiam nunquam celebraffe gratiam primi iſtantis creationis, ac infuſio-

nis animæ Beatiss. Virginis in corpus. Afferunt rursus de ea primi instantis gratia, nec institutum esse, nec potuisse institui Divinum Officium. Dicunt nihil horum reperiri in Bullis, nec earum hanc mentem esse, multò minus Concilij Tridentini. Asseverant Religiosum Ordinem, titulo Immaculatæ Conceptionis erectum, & approbatum à Sede Apostolica, non fuisse in protestationem, ac venerationem huius veritatis. Affirmant Confraternitates alio fuisse sine institutas, ad eò vt ex illis sumi non possit argumentum animi, & intentionis Pontificum gratiæ primi instantis Virginis favens. Sentiunt Indulgentias non fuisse concessas piè colentibus, ac venerantibus illam gratiam, nec propter piam hanc venerationem ablatam ab Officio Divino *sanctificationis* vocem, imò asserunt à Gregorio XV. hucusque esse mutatum cultum, vocabulo *Cōceptionis* inditam novam significationem, indifferentem ad primum instans, & ad reliqua, usque ad sanctificationem peccatum expellentem. Aliaque multa similia commiscuntur, vnde nos à veritate declinasse, hæc omnia aliter, ac oportet intellexisse, ac tandem recensita Pontificum Indulta, non in *Cōceptionis*, sed *sanctificationis* iam dictæ favorem emanasse adstruant.

Sed

Sed Pontifex in præsentis Bulla velum à Tabernaculo removet, clarè, & apertè univèrsæ Ecclesiæ, Catholicisque omnibus manifestum facit, & declarat, illos in hoc toto, quod recensimus, male locutos esse, illamque pietatem sentiendi Virginem, per Christi Redemptoris merita fuisse in gratia conceptam, & ab originali præservatam, extitisse veterem Ecclesiæ Fidelium Religionem, esse etiamnum constantem *serè omnium Catholicorum pietatem*, immutato hucusque cultu semper durantem, atque in eius venerationem, favorem, ac defensionem proculas a Sixto IV. Constitutiones, datam à Concilio Tridentino confirmationem, Bullas à Paulo, & Gregor. XV. aliisque Pontificibus desuper expeditas, concessa divina officia, nova, & antiqua, erectas Religiones, institutas Confraternitates, indulgentias concessas, aliaque omnia ab Adversarijs negata. Ergo de primo ad vltimum Bulla hæc continet harum rerum omnium declarationem Pontificiam.

¶ Quod si hanc declarationem (tametsi non de fide) esse inficiantur earum rerum omnium, quas in dubium vocaverunt litem hanc nobis moventes, assignent ipsi afferantque, pace nostra, aliquam aliam, quæ melioribus qualitatibus prædita sit. Nos hæctenus commune

D

Do-

Doctorem arbitrium ſecuti, eam, quæ è falſarum interpretationum tenebris, in lucem veritatem protrahit, quæ ab importunis dubiorum perplexitatibus mentem evoluit, quæ ab ſterfa errorum fuligine, ſyncerum rebus colorem reddit. *Declarationem* appellamus; nec aliter in quocumque idiomate appellari perſpectum eſt. Cum igitur præſentis conſtitutionis Pontificiæ Diploma eiſmodi ſit, meritò *declaratio* appellari poterit.

¶ Quod ſi hæc probatio nec dum omnem à perturbatis animis nubem abſtergit, ſemetipſos, vt conſulant Adverſarios rogamus, ac diſpiciant, an in poſterum negare auſint Eccleſiam Romanam celebræſſe, ac celebrare Conceptionem Immaculatam, ſeu præſervantem gratiam Virginis? An inficias ire, hoc ipſum intendiſſe Sixtum in ſuis Decretis. Concil. Tridentinum, Paulum, ac Gregorium reliquosque Pontificis moderni Prædeceſſores? An porrò diſſertire tibi Religioni non ducant, ordinem Conceptionis, & Confraternitates fuiſſe erectas, & approbatas à Sede Apoſtolica conceſſasque Indulgentias, idque totum eo fine, vt cultus *Immaculæ Conceptionis* apud Catholicos omnes in honore, ac veneratione eſſet atque incrementa caperet? Nobis perſuaſiſſimum eſt,

nul-

nullum eorum fore adedò obtuſæ mentis, animi vè tam audacis, qui poſt editam hanc *Alexandri Bullam*, hæc omnia tam manifeſtè dilucideque declarantis, oppoſitum ſentire auſit. Vnde verò talia, modo verentur ſentire, qui eadem, ac peiora, cum *Libellatoribus*, *Aypalego*, *Grauna*, & *alijs*, prius ſunt auſi ſcriptis evulgare? Nihil eos certè nunc moratur, niſi recens Pontificia *declaratio*, quæ eos ambiguo iure omnino exuit, quæ oppoſitæ opinionis falſitatem detegens, latentem veritatè luci reddidit, quæ Concilij mentem Pontificumque Prædeceſſorum intentionem clariffimè expoſuit, a motiſque ſentibus, Liliſum inter ſpinas illæſum detexit. Ergo iſta Bulla Pontificia eſt veriſſima *declaratio* omnium eorum quæ ſupra dicta ſunt. Niſi placeat Adverſarijs iterum animum obturare, ac dicere, quod nihil eorum, quæ ipſi hæctenus in litè, ac dubium vocaverunt, hodierna die ex hac Bulla conſtet, quippè ſi conſtet aliquid, quod negabatur antea modoque negari non poſſit, hoc ipſum ex Pontificis declaratione haberi aſſerimus.

¶ Quod ſi & hoc declarationis nomine offendantur, vocent, per nos licet, vt lubet, etiã lucem tenebras, nobis non *de voce*, ſed *de re* per novam hanc Pontificis Bullam *declarata* quæſtio eſt,

D 2

eſt,

est, quæ, quidquid ipsi aliorum deroges, saltem omnium iudicio est *Constitutio declaratoria* mentis Concilij, & Pontificum præcedentium: si quidem nihil magis propriè *declaratio* dicitur, quàm mentis alicuius de re nõ sufficienter expositæ manifestatio. Cùm igitur per hanc constitutionem aperiatur, quæ mens, quis animus fuerit suorum Prædecessorum, clarè liquet, hæc constitutionem, *Declarationem* dici debere. Amplius dicit *Salazar*, qui docet constitutiones celebritatum, ab Ecclesia institutarum, esse quandam *tacitam Definitionem*, saltem eo modo quo declarant. An vero dicta constitutio dici possit *Definitio saltem declaratoria*, vel etiam *Definitio simpliciter, & absolutè formalis, ac propria* (quæ admodum nuper nonnulli siccè, & absque sufficienti verborum suorum explicatione dixisse feruntur, videbitur infra §. 7. & 8.

¶ Præterea continet hæc Papalis constitutio duas alias res, notatu dignissimas, ac per necessarias scitu, vt ipsa sine offendiculo percurri possit.

¶ Primò, quod magna eius pars sit *motus proprius*, nempe omnis ille Bullæ ingressus, vsque ad *preces, & instantias*, vbi incipit: *ad præfatorum Episcoporum*. Id totum, inquam, loquitur ex motu proprio, nullo nempe alio inclinatus motu.

vo, quàm constanti veritate de rebus, quæ ipsi mille vijs constare, ac innotescere poterant, atque adèò obtinet hoc totum eam vim, quam obtinent quævis constitutiones Apostolicæ *ex certa scientia & motu proprio* expeditæ.

¶ Secundò continet, tam Regis Catholici, quàm omnium Ecclesiarum, ac Capitulorum modestam instantiam (vt advertit Pontifex) repræsentatè petitionem remedij necessarij, ne fideles in quieta hæctenus possessione à quoquã turbarentur, vt sua sanctitas ad hunc finem confirmare velit suorum Antecessorum Bullas, ac Decreta. Adeò constanter intellexere Ecclesiæ Hispaniarum, quod molestia facta Fidelibus, perturbando eorundem *Pietatem, Cultum, & Festum*, erat ipsas constitutiones Sixti, Pauli, & Gregorij iniuria afficere, ac perturbare, & ideò petiverunt earum confirmationem, & innovationem. Argumentum fortè, & efficax ad demonstrandum, quàm verè mentem suorum Pastorum Summorum Pontificum dictæ Ecclesiæ affecutæ sint, ad quorum constitutiones, etiamnum recurrunt, vtpotè per quas ipse cultus sustentabatur hæctenus, ac Religio, exhibitæ Deo pro gratia, *Virginem ab originali præservante.*

¶ Finis verò, qui movit Summum Pontificem

ficem ad hanc Bullam evulgandam, fuit, remedium ponere ſcandalis præſentibus, ac futuris, qua prudenter timeri poterant, ac debebant. Proque eorum antidoto iudicavit ſua ſanctitas, vnicè neceſſarium, nihil eſſe præſentius, quàm declarare animum Eccleſiæ Rom. Concil. Tridentini, Pauli V. & Gregorij XV. & denique ſuam etiam mentem in promovendo cultu, ac veneratione Immaculatæ Conceptionis glorioſiſſimæ Virginis, eaque ita firmiter ſtabilire, vt nemo auſit contrario aliquo molimine ei negotium faceſſere, qua quidem in re ſua ſanctitas demonſtravit ex vna parte neceſſitatem cultus, qua egebat Eccleſia, ex altera parte hunc eundem medicinam contra ſcândala proportionatiſſimam eſſe.

¶ Et hæc ob rem in Indice expurgatorio, prohibitorum numero accenſet omnes eos libros, qui a Paulo hucvſque hanc ſententiam, feſtum, & cultum in dubio poſuiſſent, vt ita ſine vlla repullulandi ſpe, hæc ſcandalorum zizania radicitus evellerentur. Qua diſpoſitione apertè manifeſtavit ex vna parte horum librorum perniciem, ex altera, neminem eos poſſe ſe tute legere, vel auſcultare.

¶ Ad hunc finem tanto ſuavius cõſequentium, opus quoque fuit inhibere ijs, qui ſtant  
pro

pro ſententia Brevis Apoſtolicæ, tam favorabilis Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, duas res. Primò, ne vllus aſſertivè dicat eos *Authores*, qui contrariæ opinioni adhaerent, & noxam originalis peccati Virgini impingunt, *criminiſ hæreſeos, aut peccati mortalis obnoxios eſſe*. Secundò, quoad ipſam opinionem, ne quiſquam illam *hæreſis, peccati mortalis, aut impietatis conæmet*, ſub interminatione cenſurarum ibidem explicatarum.

¶ Et valdè notanda eſt differentia verborum quibus vtitur Pontifex, prohibendo nempe contra *Authores* contrarios aſſerere duo, nempe eſſe *hæreticos*, aut *mortifere peccare*. Contra opinionem verò tria, nimirum *hæreſis, peccati mortalis, aut impietatis, damnare*. Vt nempe hoc pacto docti, ac ſapiètes ſine difficultate intelligerēt, quibus cenſurantium licentiam Pontifex limitibus circumſcripſiſſet, indeque iuſtitia lance omnia expendent, ſuum cuique rei tribuere poſſent. Ex quo perſpicuè intelligitur, Põtificem non loqui de eo, quod quiſque interiori, vel de *Authoribus* contrarijs, vel de eorum *opinione*, ſentire velit, aut poſſit, ſed loquitur ſolum de eo quod foris poſſit dici, vel non poſſit. De quo infra fuſius, vbi de tertia propoſitione.

¶ Poſtremo in hac tota clauſula ſingulatiter vnum expendendum eſt, id quod pro cõfir-



firmatione à nobis dictorum hætenus magnopere facit: nempè quod in ista allegata, prohibitione, non coniunxerit Pontifex (vt aliàs per decursum Bullæ semper solebat) cum ipsa pia sententia, cultum, & festum, quibus sese Adversarij opponere solent, sed loquitur de oppositione ad solam sententiam. Adeoque eius prohibitio est, non asserendi hæreseos, aut peccati mortalis subiectos illos, qui contrariæ opinioni adhæserint; at quia hæc multos ramos habet, specificat Pontifex, & sequestrat hanc ab alijs: nempè eam connotans, quæ ait *Virginem gloriofam fuisse in peccato originali conceptam*. Hinc contra illos qui dicere auderent, aut tenere, quod Ecclesia Romana non celebraverit Conceptionem Virginis in gratia. Quod Officium Divinum de hoc non sit institutum. Quod Pontifices Sixtus IV. Conciliū Tridētinū, Paulus V. & Gregorius XV. favore hoc festum Immaculatæ Cōceptionis non sint profecuti. Quod Religiosus Ordo, & Confraternitates nō fuerint in hunc finem institutæ, nec Indulgentiæ propterea concessæ, &c. Contra eiusmodi, inquam, non prohibet Pontifex superiores censuras asserere; non dicimus nos asseri debere, sed solū à Pontifice non vetari, vt terminorum suæ prohibitionis, quæ solum loquitur de opinione, *Virginem in originali*  
pec-

peccato conceptam affirmante, gratiæque originali opposita, non autem de alijs, cultui festo, intentioni Pontificum, & Ecclesiæ oppositis, inter quæ sanè clara reperitur distinctio, magnæque distantia per ipsam Summi Pontificis separationem manifestè demonstrata, vt Bullam inspicienti patet: igitur superius allegatæ prohibitioni subijci minimè debent, maximè cum in favorabilibus pœnæ non ampliandæ, sed constringendæ sint.

§. IV.

Compendiosa totius Bullæ expositio.

**V**T ad primum Scopum cepti discursus viam planiorem sternamus, ad particularia quædam Bullæ Pontificiæ (hætenus quippe vniversali ora solum attigimus) descendere oportet, quibus, velut acu nautica directi, cursum ad optatum vsque portū promoveamus, eaque puncta, veluti totidem robustas anchoras insultantibus ex aduerso fluctibus opponamus.

¶ Primum igitur quod ibi assererat Pontifex, est constans à longis retro annis sensus Fidelium, atque consuetudo, præseruationem ab omni macula B. Virginis adstruentium. Sanè vetus est Christi Fidelium pietas, &c. Quæ antiqua consuetudo benè no-

E

tan-

tanda eſt, pro eo promptius aſſequendo, quod infra §. 7. de definitione referemus.

¶ Alterum, quod atteſtatur, ac declarat Pōtifex, eſt, hunc pium ſenſum eſſe *pietatem*, utique verā, ac ſolidam (ex qua imminuta, *damnum* ortum, aut oriturum ſe ſentire, ac *dolere* dicit) non verò exiſtimatam, & apparentem, ut audet *Caietanus*.

¶ Tertium, quod ex eodem capite ſit *virtus laude digna*, non exiſtimata, aut imaginaria, errorique ſubiecta.

¶ Quartum, notatu digniſſimum, eſſe hanc primam Bullam, quæ Scholaſtice loquitur de obiecto huius feſtivitatis, & cultus, qui deferebatur, iuxta Fidelium ſenſum animæ Virginis in gratia creatæ.

¶ Quintum, quod modernus Pontifex eiufque Prædeceſſores, uti & Tridentinum Concilium iuxta hanc declarationem ſine difficultate componant *Præſervationem* Virginis cum eius *Redemptione*, per Chriſti, eius filij merita effectam, quod tantum tamen Adverſarijs faſciſſit negotij, ut cum ſe inde expedire non poſſent, maluerint huic myſterio bellum inferre, quàm cum parte altera, quæ *gratiam* cum *redemptione* (uti & Summus Pontifex in ſua Bulla) per facile combinat, vnanimiter ſentire.

¶ Sexto declarat, quod iſta redemptio, & gratia fuerit *privilegium* (ex ſpeciali Dei gratia, & privilegio) quo declarandi forma, palam facit ipſum redemptionis præſervativæ modum. Adeoque ex hoc Brevi Adverſarijs aſſignamus aperte id *Privilegium*, quod à nobis cum tantâ ſolicitudine requirebant, exemptionis nempe à labe originali Virginis, cæteros mortalium omnes involvente.

¶ Septimo, teſtimonium authenticum dat Pontifex, poſt Bullas Sixti, in commendationē huius ſententiæ, & cultus expeditas, virtuoſam hanc Fidelium *pietatem* identidem creviſſe, *Crevitque* horum numerus.

¶ Octavo, affirmat, & declarat, quod iuxta hunc ſenſum, eodemque fine dictæ conſtitutiones obſervari mandaverit Sac. Concilium Tridentinum, quas non aliter, quàm iuxta Sixti mentem intellexit, & expoſuit. Indeque dubio procul illud emanavit Decretum: non eſſe ſuæ intentionis Virginem Deiparam in eo puncto comprehendere, quod de originis peccato ſta-  
tuiſſet.

¶ Nono, quod dicta *pietas*, *cultus*, & *Religio* novum incrementum acceperit, poſt Religioſum Ordinem, ac Sodalitates, ſub *Inmaculatæ Conceptionis* titulo erectas, ibi: *Aucta ruruſus*.

*¶ Decimo*, quod hoc totum contigerit Romanis Pontificibus, volentibus, approbantibus, confirmantibus.

*¶ Undecimo*, quod ad hunc ipſum finem, & ad promovendam, ac roborandam hanc Fide-  
lium pietatem, Romani Pontifices Indulgentias Populis conceſſerint; quod ſanè testimonium eſt robuſtiſſimum, & ab Adverſarijs ante hac non admiſſum.

*¶ Duodecimo*, quod in hunc cultum piamq; ſententiam, pleræque, exque magis celebres Univerſitates Catholice conſpirarint, fructum omnino inſignem, quem celebrat Pontifex, à Sixti, Concilijque Decretis, & Conſtitutionibus collectum.

*¶ Decimotertio*, incrementum huius Pietatis amplius explicat, cum ait, eam ſententiam iam ſerè omnes Catholicos complexos eſſe, *ly ſerè*, non *Mathematice* accipiendò, quo ſoli Deo numerus certus conſtat, ſed *moraliter*; aut *phyſice*, qua ratione abſolute omnes ei Pietati ſubſcripiſſe dici poterunt, cum parum pro nihilo reputetur.

*¶ Decimoquarto* declarat, quod ea ſcandalapœccata, ac damna, quibus Antecceſſorū ſuorum veſtigijs inſiſtens, remedium querit ponere, in Eccleſia exorta fuerint ex *aſſertione* opinionis

*B. Virgini labem originis impingente*. Vnde concluditur noſtratem illis contrariã non ſolum eſſe pacificam, ſed pacem inſuper Eccleſiæ adferre, ſiquidem ipſe Chriſti Vicarius eius defectum per Bullam præſentem nititur reſtituere, quã pariter innuit hæc ſcandala non fuiſſe paſſiva, ſed activa, data iureque meritò ægre, graviterque fuiſſe ab Eccleſia accepta.

*¶ Decimoquinto*, notandum, quod ad firmãdam hanc pacem, Paulus V. inhibuit in *Cathedris*, & *Pulpitis* opinionem affirmatiivam publicè doceri, ac prædicari, Gregorius XV. inſuper in converſationibus particulãribus de ea diſſerere prohibuit eo quod etiã ex eiꝰmodi privatis colloquijs ſcandala illa naſcebãtur, quæ eos tãto pe-re vrebant.

*¶ Decimoſexto*, advertendum, quod in ſuo Diplomate addit Pontifex, in favorem huius ſentenriæ, ac pij cultus Gregorium XV. mandaffe, ne vllus in officio de hoc feſto, aut Miſſæ ſacrificio, publico, aut privato, alio nomine quam *Conceptionis* vti auderet. Quæ vox, etiã iudicio Libellatorum, eſt *gratiæ præſervatiivæ* Virginiſ *proteſtatiivæ*.

*¶ Decimoſeptimo*, refert, his non obſtanti-  
bus, testimonio quaſi omnium Hiſpaniæ Eccleſiarum cum ſuis Capitulis, Regiſque ipſius Ca-



*Examinis Theologici.*

tholici litteris datis sibi constare, quod aliqui peccati originalis Virginis assertores, non obstantibus prohibitionibus Prædecessorum suorum, tam in publico, quam in privato non desistant impugnare, ac vellicare *Piam sententiam*, favoresque eidem à Romanis Pontificibus concessos, ad frustrationem usque elevare, imò, & negare palam, quod datæ desuper Romanorū Pontificum Bullæ ei quidquam patrocinetur. Quo loco testes se de hoc informantes adducit omni exceptione maiores, nempe Hispaniæ Ecclesias, Regiam Maiestatem, ac Regnorum status: carpitque non obscure eorum audaciã, qui nulla habita diplomatum Pontificiorum, communisque fidelium sensus ratione, eo progredi sunt ausi, illudque tanquam factum iniustum, & expressè contra prohibitionem Pauli, ac Gregorij peccans condemnat.

¶ *Decimooctavo*, quod per eiusmodi insolentes conatus pios Christi Fideles de sua hactenus pacifica possessione deturbare insigni cum iniuria conati sint.

¶ *Decimonono*, quod hi agendi modi Adversariorum, scandala, dissensiones, ac iurgia inter Fideles porro foverint, ac propagarint, ne quicquam obluantibus contra, suorum Prædecessorum Constitutionibus, vnde necessum fuit

fuit mature occurrere maioribus incommodis deinceps timendis.

¶ *Vigesimo*, testatur, quod dictæ Ecclesiæ, Rex, status, ac Regius Orator apud eius sanctitatem seridò intiterint, pro congruentibus remedijs, his incommodis applicandis.

¶ *Vigesimoprimo*, adducendo hæc omnia in multam, ac maturam considerationem, post fusas ad Deum preces, per se, ac alios, post negotium in Cardinalium Consilio ventilatum, post auditum Doctorum, ac Religiosorum virorum arbitrium (sicut refert Epistola ad Regem data) tandem se ad remedij dispositionem, quod petebatur accingit. Revocatis enim in memoriam tempore *Sixti IV.* successibus, & motivo quod ille habuit Ecclesiæ pacificandæ, audacesque nonnullas è pulpitis contra *Inmaculatam Virginis Conceptionem* prolatas propositiones condemnandi; incipit dispositionem suã in hac Bulla Pontifex, vti Sixtus in sua, atque ita ait.

¶ *Vigesimosecundo*, se hac consideratione ad id moveri, quod *Ecclesia Romana solemniter celebret Festum Immaculatæ Conceptionis*. Nos considerantes.

¶ *Vigesimotertio*, quod eadem Ecclesia speciale, ac proprium officium, iam olim de hoc festo

ordi-



ordinari, iuxta piam, deuotam, ac laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. Prædeceſſore ſuo, tunc emanauit.

¶ Vigefimoquarto, declarat, ſe huic laudabili pietati, feſtiuitati, deuotioni, ac cultui, ab Romana Eccleſia haectenus exhibitio, fauere ſuffragari, eumque tueri uelle.

¶ Vigefimoquinto, quod id faciat ex hoc quoque capite, eo quod conſtet ſibi hunc cultum in Eccleſia ſine mutatione, defectu, aut antiquatione haectenus ſemper perfeueraffe, nunquam immutato.

¶ Vigefimoſexto, quod motus exemplo ſuorum Prædeceſſorum Romanorum Pontificum, cupiat eos ſequi in dando favore, & auxilio, pro hac pia ſententia, & cultu.

¶ Vigefimoſeptimo, declarat quænam, & qualis ſit illa pietas, & deuotio cui fauere, quæque tueri, protegere, ac defendere uelit, nempe celebrandi, ac colendi Beatiffimam Virginem, Spiritus Sancti præuentione à culpa præſeruatam.

¶ Et ut hoc totum intelligatur pertinere ad uenerationem, ſententiam, feſtum, & cultum ſupradictum, zelusque uniuersalis Eccleſiæ Paſtoris, quo eum tueatur, ac protegat, manifeſte appareat, teſtatur.

¶ Vigefimoocctauo, quod deſideret in Chriſti gre-

grege conſeruare unitatem ſpiritus, in uinculo pacis, ſeditatis offenſionibus, & iurgijs, ſcandalisque amotis. Et hoc quidem, ad Eccleſiarum, Regis, & Regnorum petitionem, & inſtantiam.

¶ Vigefimonono, quod innouet omnes Conſtitutiones, ac Decreta Prædeceſſorum ſuorum, Romanorum Pontificum, & ſpecialiter Sixti IV. Pauli V. & Gregorij XV. data in fauorem ſententiæ, quæ aſſerit, quod Animæ Sacraſſimæ, ac intemeratæ Virginis in primo inſtanti ſuæ creationis, & inſuſionis in corpus, data fuerit Spiritus Sancti gratia, ac præſeruata à peccato originali.

¶ Trigeſimo, quod nominati Pontifices eos fauores attribuerint feſto, ac cultui Conceptionis immaculatæ, eâ ratione quâ tenet, & defendit Pia ſententia, ut diximus.

¶ Trigeſimo primo, præcipit, ut id totum obſeruetur ſub pœnis, ac cenſuris, in Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum Pontificum interminatis.

¶ Trigeſimo ſecundo, fulminat eaſdem cenſuras, aliasque maiores pœnas in eos, qui auſi fuerint interpretari dictas Conſtituciones, & Decreta, eo tenore, ut fauore, qui per ea ſententiæ, feſto, & cultui confertur, fruſtrentur.

¶ Trigeſimo tertio, idem minatur ijs, qui hæc piam ſententiam, feſtum & cultum in diſputationem reuocauerint.



Similiter *trigesimo quarto*, qui contra eam quoquomodo *directè*, vel *indirectè*, sub quocunque *pretextu*, etiam eius *definibilitatis* examinandæ *egerint*.

¶ Aut, *trigesimo quinto*, sub colore *interpretationis* Sacræ *Scripturæ*, aut *Sanctorum Ecclesiæ Patrum*, & *DD.* aut eorundem *glossationis*.

¶ Vel *trigesimo sexto*, quocunque alio *pretextu*, aut *occasione*, *scripto*, seu *voce*, *loqui*, *concionari*, *tractare*, *disputare*, *determinando*, aut *asserendo contrariū*, aut *allata argumenta contraria insoluta relinquendo*.

¶ Vel *trigesimo septimo*, qui *disputando* quocunque alio modo *excogitabili*, aut *differendo* se eidem *sententiæ*, *festo*, & *cultui* opposuerint. Quibus sanè *validissimis repagulis*, *clavis Petri* omnes *Adversarijs* aditus, tam *firmiter obsetavit*, ut huius *Horti conclusi Florem* porrò *attrectare*, *omnis planè spes præcisa sit*.

¶ Ex omnibus his *clausulis* manifestè *apparet* quàm *imbutus* sit *Summi Pontificis animus* certissimà illà *sententiæ piæ* *veritate*, *planè*, ut neq; *pretextu* *interpretationis* *Sacræ Scripturæ*, aut *Ecclesiæ Patrum* *consentiat*, eam quoquomodo *in dubium reuocari*: non ex eo solum *capite*, ut eam in sua *firmitate*, ac *certitudine* *illibatam* *conservet*, sed etiam ut *authoritati Sacrarum paginarum*, *Patrumque Ecclesiæ* ho-

no *ri consulat*, quibus non *levis nota inurit*, si eorum *placita adducantur*, *citenturque* *pro sententia*, quàm *Concilia*, ac *Pontifices*, tanquã à *piorum sensu degenerem* *reprobarunt*. Vnde non esset *levis temeritas* ( *abstineo à vocabulo erroris*, de quo *infra*) & *oppositio directâ* *Brevi Apostolico*, *pronuntiare*, *oppositam sententiam esse* *S. Augustini*, aut *S. Thomæ*, quorum *auctoritates* si *afferantur* in hac *materia*, *dissolvi*, & *explicari* debent, *interpretatione*, *piæ sententiæ* *conformi*, ut patet ex *clausula 36.* *citata* ( *quia sunt argumenta ab auctoritate inclusa in clausula illa.* )

¶ Nec minus *delinqueret*, qui *asseveraret*, *cōtrariū* *habere* in *Scriptura fundamentū*, aut esse *gravium Theologorum*, aut *Scholasticorum*, tametsi *adderet*, eam *nec sequendam*, *nec consulendam*, aut *proponendam* *cuiquam esse*; quia hæc *præcautio* non *tollit*, quin etiam hoc *pacto Brevi Apostolico* *contraveniatur*.

¶ Ex quo *concludi*, ac *colligi* debet, *multò facilius* *contra Pontificias Constitutiones indirectè* *peccaturum* eum, qui *aliquid* *circà dictam piam sententiam* *assereret*, quod *apparenter* *quidem videretur* *favorabile*, *tacitè* *tamen ac latenter* *oppositæ opinioni* *faveret*. Similiter *illum* qui huius *piæ sententiæ* *favores mali-*

tiosè subiceret, ac dissimularet, cum teneretur de ijs loqui, aut eandem non celebraret, quando inde oriretur proximorum scandalū, vt fieri assolet in Hispania, factumque est crebrò ex parte oppositæ sententiæ adhærentium, quando ex sola omissione triti illius Virginis encomij laudetur *immaculata Conceptio*, ipsa experientia teste, prudentiores iuxta, ac vulgus scandalizabatur. Quod si hæc videantur duriora, dicant ipsi, quid sit in dubium revocare hanc piam sententiam *indirecte*? Sed de hoc infra, pro pos. 3. ex professo.

¶ Pergit porrò sua sanctitas, ac *trigesimo octavo* prohibet omnes, & singulos libros, qui dictam *piam sententiam, festum, seu cultum* in dubium revocarunt, à Papa Paulo V. ad hæc vsq; tempora, quæ clausula, res, sanè notatu dignissimas complectitur.

¶ Insinuat enim Christi Vicarius, quod ad communem Ecclesiæ pacem conservandam, eà ratione, quâ vetuit cætera supradicta, eadē planè libros quoque prohibeat, qui *piæ sententiæ, festi, & cultus*, quovis modo *dubium* ingerunt, ita vt eadē ratione prohibitos velit, tam libros contra *sententiam*, quàm contra *cultum* agentes. Notari autem ulterius debet, a dicta Pontificis clausula: *quocunque modo, &c.* Id est, quacūque

que occasione, vel causa, *directè, aut indirectè*, seu interpretandi Scripturas, seu glossandi Patres, aut eorum authoritates pro contraria sententia allegando: ex quo capite ablegantur omnes ij libri, qui dicunt quod hæc opinio sit Scripturæ, aut Ecclesiæ Patrum, S. Thomæ, aut ratione sua constet nitaturque fundamentis. Nō prohibentur verò vi præsentis Bullæ libri ante Paulum V. de simili materia editi, quia sufficienter in *Extrauag. Sixti IV. aliorumque Pontificum* compefcuntur. Cum enim dicti Authores ante Pauli V. tempora cum magna audacia, ac libertate *piæ sententiæ* insultassent, ab eiusdem Constitutionibus suppressi sunt. Vnde quicunque eiusmodi libri, hucusque à Sixti temporibus scripti reperiuntur, non solum prohibiti sunt, ac prælo interdicti, sed Pontificiâ auctoritate in Indice expurgatorio condemnati, vt à nemine hodieque approbari, ac sine contraventione Bullæ, laudari queant. Tantopere nēpè hanc *piam sententiam, festum, & cultum* intemperate Virginis Summi Pontifices venerantur, atque tuentur.

¶ Dūm verò ex vna parte hæc, pro debito suo zelo, sancit Christi Vicarius, ex altera, animorum concordia, atque Ecclesiæ paci in hoc negotio consulere cupiens.



*Ex. minis Theologici.*

¶ *Trigesimono*, severè prohibet, ne quisquam contrariæ opinioni *adherentes*, Hæresis, aut peccati mortalis, ex huius Bullæ tenore *dammare* audeat, ipsamve *opinione* oppositam Hæresis, peccati lethalis, aut impietatis nomine proclamare præsumat: rationem addens, eo quod *hoc*, hucusque nec dum sit ab Ecclesia Romana, summisque Pontificibus definitum, neque etiam nunc sit suæ intentionis, *hoc* veluti articulum fidei definire, definitione scilicet expressa, directa, ac formali. De alijs enim Definitionum generibus, hic Papa fortè non loquitur, de quibus nos suis locis plura dicemus.

¶ Ex quo toto inferri debet, quod quantum ponderis vult esse Summus Pontifex apud Fideles omnes, suspensionem sententiæ, *formaliter*, ac de fide definiens gratiam originalem Virginis: quantumque illis ex hoc capite oneris obligationisque imponit, tantum ex alia parte vult esse momenti, eodemque rigore obligari Fideles omnes, ad standum *declarationi*, ac *protestationi*, positivæ celebritatis, quam Ecclesia Sancta Summique Pontifices, mysterio *Originalis gratiæ*, seu *preservationis*, in sui cultu, & festo exhibent, afferendo Concilij sensum, suamque esse expressam hanc mentem, suorumque Antecessorum semper fuisse, declarando. Eadē  
siqui-

siquidem est Ecclesiæ Romanæ authoritas, cū non vult definire Originalem Virginis gratiā, quam cum declarat eius cultum, & festum, illamque huius esse obiectum.

¶ *Quadragesimo*, pro Constitutionis totius coronide, Iudices, prævaricatoribus cōstituit, omnibus Fidelibus obligationem imponens, ut huic suæ determinationi morem gerant, clausulas derogatorias addens universalissimas quorumcunque contrariorum Privilegio- rum magisque strictas, adeò ut per eas etiam derogetur indultum, à Gregorio XV. quibusdam Religiosis concessum, ut de ista materia inter se conferre, ac disputare possint, quod vigore huius novæ Bullæ est omninò annullatum.

¶ Ac tandem obligationem imponit suam sanctitas Prælati, atque Ecclesiæ Iudicibus, *publicandi* has suas Constitutiones univèrsis Fidelibus, in eosque præscriptis pænis animadvertendi, qui huic Decreto quocunque modo superius recensito, ac sub quovis prætextu, sese opponere auderent. Imperans insuper, ut in eam curam sedulò incumbant, quo Fidelibus univèrsis dictorum librorum prohibitio innotescat; eorumque super hoc cōscientiam onerat.

¶ Vnde & sufficienter constat, quod mā-  
dan-



dando huius Bullæ promulgationem, simul imperet Pontifex celebritatis, ac festi Immaculatæ Conceptionis observationem, frustranea quippè foret à Prælati facta hæc Fidelibus publicatio, nisi iisdem vnà incumberet eiusdem cultus, ac festi, defensio, ac celebratio: Nam Regis ad exemplum totus componitur orbis: & longa via per verba, Breuis per exempla, vt ex Seneca ait S. Hieronymus.

§. V.

Referuntur variæ acceptiones, ac significationes huius vocis Pietas.

EXpositis cursim ijs, quæ ad recentem Sūmi Pontificis Constitutionem pertinere videbantur, vt cætera porrò prosequamur, ipsa res monet, propiusque accedamus ad id, in quo potissimus difficultatis cardo versatur.

¶ Et quia pietatis prærogativam, quã perinde sententiæ, ac cultui præservatæ Virginis Adversarij nobiscum tribuunt, eiusdem dicunt in utroque esse rationis, ac valoris, idest certitudinis, aut probabilitatis, prout in allegata eorum prima propositione vidimus, per necessarium est, vt Protheam hanc vocem Pietas, seu Pius, Pia, Piū, varijsque acceptionibus obnoxia, ad

ad synceram, ac genuinam significationem revocemus, dumque per vices quælibet eius acceptio discutitur, omnibus Adversariorum effugijs exitus præcludatur.

¶ Primò, igitur capi potest hæc vox Pietas, seu Pius, Pia, Pium, abusive, idest pro pietate, non vera, sed adulterina, falsa, erronea, hæretica, vel ethnica, eo modo, quo pium cultum Idololatræ suis symulacris adhibet, Turcæ, ac Hærtici suos Antesignanos venerantur. Ita Numam Pompilium, qui primus Deos invenit, Pietate insignem Romanorum Fasti appellavere, Lutherum, ac Calvinum sanctos, eorum asectæ, Machometem, Saraceni, ac Turcæ.

¶ Et hæc est omninò spuria Pietas, quàm communiter sancti appellant impiam, qualis est etiam illa, quæ & facinorosis impenditur, qui non veniam, sed iustam vindictam merentur.

¶ Similem pietatis impiæ notam nobis, qui ex parte Immaculatè Conceptæ Virginis stamus, aspersit Vincentius Bandellus de Castro-Novo, clarissimæ S. Dominici familiæ olim Generalis, quãdo in suo de hac materia opusculo centies ingerit, hanc Fidelium pietatem, sensumque, quo, Virginem in gratia conceptam adstruunt esse,

effe, *impiam, hereticam*, alijsque multis per acer-  
bis appellativis denigratam, provt inferius,  
parte 2. §. 1. latius referemus.

¶ Secundò, *pietatis* nomine venire poteſt,  
affectus quidã, ex muliebri teneritudine pro-  
fectus, non alio nixus fundamento, quàm vul-  
gari, apparente, exiſtimato, atque errori mul-  
tum obnoxio; eo modo, quo ſimplex, ac rude  
vulgus erroneè complura obſervat, quibus  
putat ſe gratum Deo cultum exhibere.

¶ Hoc *pietatis* nomine *piam* hanc noſtram  
ſententiam, eiufque Authores *pios* appellat. *Illuſtriſ-  
ſimus Caietanus*, ex eodem inſcripto S. Dominici  
coëtu, vt infra patebit part. 2. §. 2. Cui conſen-  
tire videntur *Libellatores Romani*, quando illam  
appellant *pietatem infani vulgi*, libello 2. n. 34.

¶ Tertio, ſumitur hæc vox *Pietas* pro ſen-  
ſu probabili, & opinativo, verum, in adeò de-  
preſſo probabilitatis gradu, vt oppoſitum  
multò ſit magis probabile, ampliusque præpõ-  
deret. Hoc modo *piam* dixit noſtram ſententiã  
*Hiacynthus Harpalegus*, verumtamen abſque cõ-  
paratione minùs, quàm contrariam, & gratiã  
originali Virginis oppoſitam. Huic acceſſiſſe  
videntur nonnulli, in quos, & meritò graviter  
invehitur *Ægidius Luſitanus*, lib. 3. q. 6. art. 1.  
vti videbimus inferius part. 2. §. 3.

¶ Quarta *pietatis* acceptio ita ſumitur, vt  
ad libellam poſita noſtra ſententia, nihilo, opi-  
nioni contrariã præpõderet, ſed æqualem om-  
niò cum ea probabilitatis gradum nanciſca-  
tur, falſitati interim, errori, ac deceptioni  
ſubiecta. Hoc tenore hanc noſtram ſententiam  
*piam* appellant *Libellatores Romani*, quos nonnul-  
li ſequuntur ex laudata iam Religione Divi  
Dominici, qui colore minùs fuſco, quàm prio-  
res, hanc *piam* ſententiam depinxerunt, de quo  
infra part. 2. §. 4.

¶ Quintò *Pietati* tantum tribuitur, vt *Pia*  
noſtra ſententia maioris longè probabilitatis  
exiſtimetur, quàm oppoſita, ita tamen, vt ex-  
tra limites probabilitatis, ac opinionis, quæ  
formidinem oppoſiti, errorem, ac deceptionẽ  
abſolutè non reſpuit, minimè extrahatur. Et  
hanc acceptionem ipſi *Libellatores* amplectun-  
tur, paſſim noſtram magis, ſuam minùs *Piã* eſſe  
ingenuè conſitent; de qua infra part. 2. §. 5.

¶ Sextò, ſumitur *Pietas*, ſeu *Pia*, pro ſenſu  
plus, quàm probabili, ſeu qui *opinionis* limites  
excedat, ſitque *moraliter certus, & evidens*: eo pla-  
nè modò, quo credimus id *Piẽ*, quod complu-  
res viri ſancti doctique aſſerunt, atque testi-  
cantur. In hac ſignificatione appellat noſtram  
ſententiam *piam*, doctiſſimus P. *Didacus de Gra-*

na los Societ. Iesu, singulariter Angelico Doctore  
addictus, & cum ipso Peñalosa, alijque multi,  
atque insignes Theologi, de quo infra part. 2.  
§. 6.

¶ Septimo capitur hæc vox *Pietas* pro ea  
sententia, aut re, quæ à parte rei est physicè cer-  
ta, ita, vt iuxta ordinariam Dei providentiam,  
& naturæ cursum eidem falsitas repugnet.  
Hanc pietatem nostræ sententiæ attribuit P. Fer-  
din. de Salazar insignis pro integritate Virginis  
Athleta, eiusque Magister P. Ludovicus de Torres  
alijque plurimi, qui eorum placito accessere,  
de quo infra amplius p. 2. §. 7.

¶ Octavo, hæc vox *Pietas* pro ea accipi  
potest, quam quidem hæcenus à Deo revelatã  
esse non constat, neque ab Apostolica Sede  
definitam de Fide; talem tamen, quæ sit valdè  
conformis veritatibus fidei, consentaneaque  
ex quibus per mediatas, & legitimas consequen-  
tias deducta eruatur, atque ad eiusdem sanita-  
tem integritatemque (vt ait Canus) pertineat, quã-  
vis contraria opinio adhuc certis conditioni-  
bus, certisque de causis saltem pro interiori fo-  
ro ab Ecclesia toleretur. De quo sæpius dein-  
ceps præsertim infra part. 2. §. 8. ex professo.  
Quo pacto doctissimus Canus è S. Domi-  
nici filijs, libr. 5. de locis, cap. 5. & libr. 12. cap. 6. &

7. ait esse multas eiusmodi *Pias* veritates, quæ  
nec revelatæ sint, nec definitæ. Cuius iudicio  
nos quoque accommodamus, & iuxta hanc sig-  
nificationem huius vocis *Pietas* in Brevi Pontifi-  
cio toties repetitam, illam amplectimur.

¶ Nondò, accipitur hic terminus *Pietas*  
pro *Catholico*, id est pro *uniuersali*, & ab omnibus cõ-  
muniter recepto sensu, tametsi nondum definito de  
fide, vicino tamen admodum, ac veritatibus fi-  
dei proximo. Inde dicimus, fatemurque nos  
*Piè*, & *Catholicè* credere B. Virginem, natam  
esse sanctam, corpore, & anima assumptam in  
Cælum, præsentatam fuisse in Templo, & alia  
eiusmodi. De hac acceptione vide *Canum lib. 12. de locis, cap. 11. Cordubam, Simancas, & Suarez tom. de fide disp. 19 scilicet, 2. n. 13. & seqq.*

¶ Hoc tenore loquitur D. Augustinus, cum  
ait: *Quod de Sancta Matre Dei nisi quod pius est, ac dignum videtur, sentire non potuit. Cuius vestigijs insistens S. Clarevallensis Abbas Bernardus sermone 4. supra Salue. Sic loquitur: Ego quoque pia fide opinor, in utero Matris ab originalibus te absolutam peccatis, nec vana est fides, nec opinio falsa. De qua acceptione infra pars 2. §. 9.*

¶ Decimò, sumitur hæc vox *Pietas* pro  
sensu infolibili fidei *Diuine*, aut pro expresse reve-  
lato in Sacris Paginis, aut recepto ex traditio-

ne Apostolica, aut ab Ecclesia definito. Hanc significationem secutus est S. Cyrillus in libro de recta fide ad Reginas, cum refert, quod Hæretici veriti, ne scandalizarent Catholicos piè sentiētes, ipsi quoque eundem, qui ex Virgine est natus, Deum confitebantur.

¶ Eodem loquendi modò utitur S. Athanasius contra Arrianos, quos arguit contempnissimum sensum, atque sententiam Piam, idest eam, quæ erat de fide. Et magis infra, gratulatur suum sensum, atque sententiam de fide, Piam esse: Quem igitur nos pium tuemur sensum. Et mox: Etenim interpretatio perspicua, & sententia pia; & quod fieri nō potest, expugnari non potest. Adeòque Sanctus hoc loco pietatē apertè vocat inexpugnabile quid, velut est Fidei articulus, quem defendebat. Vide infra part. 2. §. 10. Similiter S. Basilius libr. de Spirit. S. cap. 7. Ait quædam esse dogmata scripta, quædam verò ex Apostolica traditione, & utraque, inquit parem vim habent ad pietatem, idest fidei veritatem.

¶ Undecimò Pietas pro eodem accipitur, ac affectus Religiosus, qui Deum respicit, pertinetque ad Cultum Divinum. Hic pietatis significatus non semel expressus in Sacra Scriptura visitur, provt notavit Divus Augustinus lib. 11. de Ciuitate, S. Thom. 2. 2. q. 101. art. Hanc ob rē quod  
li-

libet opus bonum sanctumque pietas appellari potest, congruenter ad Apostoli doctrinam Timotheum instruētis: Exerce te ad pietatem (Græcus vertit ad Religionem) & rationem subdit gentium Doctor: Pietas enim ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.

¶ Quare in hac acceptione, sententia nostra dicetur Pia, quod Cultum Divinum, Religiosamque adversus Deum observantiam respiciat, ac intueatur, vt infra p. 2 §. 11.

¶ Duodecimo, Pietas, virtutem moralem specialem significat, iustitiæ annexam, quàm Hipponēsis Præsul cum Angelico Doctore 2. 2. q. 162. art. 1. & alibi definiunt, Ciceronis placitum sequentes: Pietas est eiusmodi virtus, quæ parentibus sanguine iunctis, patriæque benevolis officium, & cultus diligēs tribuitur. De hoc loco citato §. 12.

¶ Decimotertio sumitur Pietas pro vno ex Spiritus Sancti donis, vt docet, & explicat S. Thom. 2. 2. q. 121. art. 1. asserens Pietatem, quatenus donum, non solum cultum Deo tribuere, sed sanctis insuper propter Deum, de quo infra part. 2. §. 13.

¶ Quartodecimo, accipitur hæc vox Pietas pro deuotionis actu, qui fertur in Deum, ac Sanctos, aliosq; quoslibet propter Deū; eo quod sit prompta voluntas, vt loquitur Aquinas: Obedien-

di Deo ceterisque quos Dei loco veneramur. Non solum, inquam, fertur in Deum huiusmodi *Pietas*, sed in reliquos pariter homines propter Deum. *Et quest. 82. art. 2.* ait istam pietatem ad Religionem pertinere: cumque sit devotio, ad ipsam quoque spectare promptitudinem sua solerter opera exequendi: *Quod est esse deuotum. Et sic patet, quod deuotio est actus Religionis*, de quo citato loco §. 14.

¶ Quintodecimo sumitur *ly Pietas* pro omni eo, quod per Ecclesiam summosque Pontifices ad cultum Deo dignum, eiusque Maiestati debitam reverentiam instituitur, ac ordinatur, ita sumpsit Christi Vicarius in presentis diplomate, cum ait: *Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia, &c. Speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit, iuxta piam, deuotam, & laudabilem institutionem, quae à Sixto IV. Praedecessore nostro tunc emanauit.* Vnde liquidò constat Pontificem vocare *piam, institutionem* Divini Officij pro Dei cultu. Nec dubitari potest hanc acceptionem esse *Pietatis* genuinam, quando ad Dei, Sanctorumque venerationem refertur, vide *part. 2. §. 15.*

¶ Decimosexto, accipitur *Pietas* iuxta Scripturae Phrasim (provt exponit *S. Augustinus, D. Thom. estque communis sensus SS. PP. ac Doctorum*) pro affectu *charitatis, misericordiae benevolentiae, ac*

be-

*benignitatis, tam Dei erga nos, quam nostri erga Deum, & proximum: cuius acceptionis innumera reperiuntur in Sacris litteris, & Ecclesiae Patribus exempla, de qua infra p. 2. §. 16.*

¶ Decimosextimo, idem significat *Pietas*, ac Sacer animi impulsus, seu pie voluntatis affectus, quo ad actus fidei diuinæ movemur, & iuvamur quem Scholastici communiter *Piam affectionem, seu credendi voluntatem* appellant, ad nominatos actus necessariam, de quo loco citato §. 17.

¶ Decimo octavo, dicitur quid *Pietas, vel Pium*, provt *Pietas* omni illi opponitur, quod re ipsa est, & dicitur *impium*. Eo modo, quo est *impia crudelitas* in castigando quæ *pietatem, ac misericordiam* erga extreme afflictos excludit. Vnde, qui eiusmodi opitulari tenetur, ac potest, veluti filij Parentibus, fortunæ bonis, ac famæ laborantibus, *impij* notam contrahit si negligat, quàm absque dubio, & is contraheret, qui animæ, & corporis in Cœlesti Regno incolatum, Matri Virgini, aut eius natiuitatis sanctitatem ingratus filius negaret, de quo infra p. 2. §. 18.

¶ Decimonono, *Pietatis* nomine gaudet totum id, quod opponitur illi, quod non est *piu*, aut est non *pium*. Hac ratione asseruit eximius

H

Do

Doct̄or Franciſcus Suarez tom. 2. in 3 p. diſp. 2. non eſſe pium credere, quod Eccleſia decipiatur in celebrando hoc myſterio, aut falſo nitatur fundamento. Vide infra p. 2. §. 19.

¶ Vigefimo, accipitur Pietas, ſeu eſſe pium pro eo, quod opponitur illi, quod in materia ad fidem ſpectante cenſetur, & dicitur *non ſatis pium, parum tutum, non nihil periculofum*. Iſtiusmodi loquendi modi creberrimi inveniuntur apud Theologos ſuſpectas propoſitiones cenſurantes: ſicut, & apud Ægid. Luſitan. opinionem, *piæ ſententiæ* contrariam reiſcientem. Vt videbitur infra p. 2. §. 8. & 20.

¶ Vltimò demum, pium dicitur per oppoſitionem ad omne id, quod eſt, & dicitur *minus pium, minus Religioſum, ac deuotum*. Et in hoc ſenſu tota quaſi Fidelium vniverſitas opinionem cõtrariam *minus piam* appellat, fatenturque *Libellatores Romani*. Quibus ita ſuppoſitis, & explicatis diſcutienda reſtat certitudo, vel probabilitas, aut improbabilitas *piæ ſententiæ*, ac etiam opinionis contrariæ, pro quorum expeditiore intelligentia nonnulla præ notanda ſunt.

## §. VI.

De certitudine, eiſque diuerſis generibus, & gradibus.

¶ Advertendum primò, certitudinem in gene-

nere nihil aliud eſſe, quàm conſtantem firmitudinem rerum veritati conſentanearum, quas firmo iudicio iudicamus, ac credimus, & pro talibus indubitanter habemus. Hinc fit, quod de ſolis veris dicamur certi de falſo autem duntaxat perſuaſi.

¶ Advertendum ſecundò ad *certitudinis diſviſiones* quas Scholæ allegant. *Prima*, enim eſt, & dicitur *obiectiua*, ipſiq; rei de qua fertur iudicium ſecundùm ſe ineſt, & vocatur certitudo *quo ad ſe*, facitque vt talis ſit, qualis eſſe dicitur. *Secunda*, ad actum intellectus ſpectat quo res conformiter, vt ſunt cognoscuntur, & dicitur *certitudo formalis*, & *quo ad nos*, quæ naſcitur ex penetrata principiorum veritate, ipſum intellectum ad verum aſſenſum determinantium. *Tertia ſubiectiua* dicitur, quæ nihil aliud eſt, quàm firma iudicij adhæſio quæ veritatem obiecti amplectitur, naſciturque, vel ex principiorum evidentia; vel ex voluntatis imperio, omnem dubitandi locum excludente. Hæc, & reperitur in actibus fidei; & in aſſumpta intellectus pertinacia, quæ nonnulli proprio iudicio ſenſuique, etſi nulli, aut exiguæ probabilitati innixo, tam tenaciter adhærent, vt eos inde deducere poſſibile non ſit, eo pacto hæretici adherere ſolent falſis dogmatibus, aut alij opi-

nionibus ſuorum Amicorum, aut Magiſtro-  
rum.

¶ Tertio notandum, tria hæc certitudinũ genera, varios adhuc habere gradus, magis, vel minus perfectos. Vna enim dicitur *Metaphyſica*, quæ reperitur in actibus *Fidei Diuinæ*; necnon *rigorofe ſcientiæ*, in quos, etiam de potentia Dei absoluta, falſitas, aut error irrepere non poteſt. Alia vocatur *certitudo Phyſica*, quæ ſecũdum naturalem rerum curſum, Dei que ordinariam providentiam falſa eſſe nequit, licet de potentia Dei absoluta evenire id poſſit. Sic hominẽ ſemel extinctum naturaliter reviviſcere eſt im poſſibile, licet divinitus id facile ſit. Tertia de- mum *certitudo eſt moralis*, conſiſtit que in prudẽti ſapientum doctõrumque virorum concordiiudicio, cui falſitatem ſubefſe moraliter repugnat, etſi ſubefſe non ſolũm de potentia Dei absoluta, verum, & de ordinaria poſſit.

¶ Quarto obſervandum, quamlibet ſupradictarum claſſium in tuos ruruſum gradus ſubdividi. Nam certitudinis *Metaphyſicæ ſupernaturalis*, primus gradus eſt actus fidei diuinæ, qui oritur, aut ex revelatione, aut definitione immediata Eccleſiæ, eſtq; tam firmus, & in- fallibilis, vt ex natura ſua ei repugnet omnis falſitas, adeo, vt qui id non credat, aut adſtruat

con-

contrarium, pro formali Hæretico habendus ſit.

¶ *Secundus gradus*, in ea verſatur certitudi- ne, quæ quidem non formaliter, & immediatẽ de fide, attamen magnam præfert cum rebus Fidei conſonantiam, eſtque admodum proxima, ac vicina veritatibus de fide definitis, eo quod ex earum principijs per immediatã con- ſequentiã eruatur, revelationibus nempe Di- vinis, traditionibus Apoſtolicis, aut Eccleſiæ de- finitionibus.

¶ Hinc tam certus, & inſallibilis eſt eius- modi actus, vt licet eius contrarium formali hæreſeos ſtigmatem non notetur, erroneum ta- men in fide, inſigniterque temerarium reputetur, cenſuris exagitetur ac pœnis, & nullatenus in Eccleſia toleretur.

¶ *Tertius gradus eſt eorum actuum, & rerũ* quæ præfatæ quidem certitudinis ſoliditate nõ nituntur, habent tamen eiusmodi, ratione cuius dici poſſunt ad fidem eiusque ſanitatem in- tegratam, ac complementum pertinere, vt aſſerit *Comus*, eo quod ex principijs Fidei media- tẽ eruatæ ſint, iſq; admodũ cõſetaneæ, ac cõfor- mes, proq; talibus *ab omnibus ferẽ Catholicis* agni- tæ ac receptæ, planẽ, vt licet eorundẽ oppoſitũ pro hæreſi, aut errore non accipiatur, pericu-

lo.

loſum tamen, temerarium, ac veræ pietati non ſatis conforme dici, ac notari poſſit, etſi in hoc puncto ab Eccleſia prohibitum non ſit ſentire interius pro cuiuſvis arbitrio, vetitum autem hunc ſenſum exterius publicare. Et in hoc gradu ſententiam piam complures graviffimorum Authorum conſtituerunt, de quo nos infra p. 2. §. 8. & 9.

¶ Non minus certitudo *evidentiæ*, ſeu *ſcientiæ* ſuos gradus obtinet, eoſque cum primis tres.

¶ *Primus* eſt primorum principiorum, quæ vocamus lumine naturæ nota, ſive evidentiam per ſe, & ex terminis, quando nempe ex nuda propoſitionum prolatione, eorundem ſtatim veritas intellectui innotefcit.

¶ *Secundus*, eſt ipſarum concluſionum, quæ ex dictis principijs, ſeu fundamentis per legimam conſequentiam inferuntur.

¶ *Tertius*, ſcientia experimentalis ipſorū ſenſum exteriorum.

¶ *Phyſica ſcientia* varia eſt in ſua certitudine, iuxta quod magis, aut minus intenſos actus elicit, plura, aut pauciora obiecta, plures, aut pauciores obiectorum formalitates reſpicit.

¶ Demum *moralis certitudo* maiorem diverſita-

ſtatem graduum admittit. Cùm enim ſit cognitio, ſolum moraliter certa, multaque, eaque diverſiſſima ſint, quæ eam in eſſe moralis conſtituere poſſint, hinc eius certitudinis gradus varios quoque reſultare, exploratum eſt. Vt ſi deſumatur ab authoritate plurium, aut pauciorum, magis minusque claſſicorum authorum, magis aut minus à doctrina, atque eruditione commendatorum, libertatem ſentiendi obtinētium, aut in verba Magiſtri iuratorum, ſeſeque invicem in eadem ſemita, abſque ulteriori examine ultrò ſequentium. Si aſſenſus hic præ illo novitatem, pertinaciam, aut futilitatem ſapiat. Ex quo liquet in eiufmodi certitudine fixam omnino regulam obtineri non poſſe.

¶ Quintò, advertendum circà *opinionem*, eam nempe eſſe actum intellectus adhærentē quidem ſuo obiecto, ſed non abſque aliqua formidine oppoſiti, vnde ab erroris ſuſpitione, & deceptionis, ſicut ſcientia, non eſt liber.

¶ Hinc notandum ſextò, etiam in ipſis opinativis rebus, & actibus maiores dari, ac minores probabilitatis gradus, iuxta principia intrinſeca, vel extrinſeca perfectioribus, vel minus perfectis fundamentis innixa.

¶ Septimò, ſciri debet fidem humanam,



totum ſuæ certitudinis vigorem deſumere ab authoritate humana, ipſaque exiſtimatione, ac veracitate dicentis.

¶ Octavo, demum certitudinis fidei humanæ gradus eodem modo crefcere, & augeri, quo ipſa teſtimonia, ac authoritates, quorū virtute nituntur. Vide ulterius Vegam de iuſtificatione, l. 9. c. 2. 3. & 4.

§. VII.

Afferuntur variæ acceptiones, genera, & gradus. Definitionis, & Declarationis.

**S**Vperius §. 3. oſtendimus, noviffimam hanc S. D. N. Alexandri Septimi conſtitutionem eſſe, & continere præclaram quandam, variarum rerum, ante hac, à quibuſdam in dubium vocatarum, atque ad expeditiorem myſterij Immaculæ Conceptionis B. Virginis intelligentiam ſpectantium declarationem. An verò hæc ipſa declaratio, ratione quadam, & modo ſit, ac dici poſſit *deſinitio*, ſaltem *declaratoria*, non quidem *de fide*, ſeu de re, fidei certitudine certa, forſitã non paucos Virginæ puritatis amatores cura comprehendet, maximè, cū non deſint, qui libellis nuper, ſcheduliſque typo excuſis, ſim-  
plici-

pliciter, & abſolutè pronuntiarunt, hanc ſuæ Sanctitatis Bullam eſſe, & continere, *deſinitionem*, & hanc quidem *formalem*, eaque, *cultum*, & *celebritatem Immaculæ Conceptionis directè ſententiam verò piã*, & *obiectum utriuſque indirectè deſinitum eſſe*.

¶ Quia verò Authores iſtorum libellorū, & ſchedularum nulla diſtinctione, aut ſuæ mētis, verborūq; interpretatione adhibita abſolutè, ac ſine diſcrimine loquentes uſurpant hoc *deſinitionis* vocabulum, cū id per ſe valdè ſit *analogum*, variaque non ſolum *genera*, verū etiã *deſinitionum*, rerumque *deſinitarum gradus* ſignificatione complectens, ideòque dilucida expoſitione egeat, hinc ſit, vt illorum pronuntiatã prima mox fronte adverſari huic Bullæ Põtificiæ, ipſique Authores argumentorum ſequentium iſtibus ultro ſeſe expoſuiſſe videantur.

¶ *Primò*, enim contra eos eſt, quod in totã hac Bulla, & Conſtitutione Pontificia non reperiatur expreſſè poſita hæc vox *Deſinitio*, quàm tamen poni, ac reperire oportuiſſet, ad hoc, vt illa inſtitutio ſimpliciter, & abſolutè eſſet, ac dici poſſet *Deſinitio*, & quidem *formalis*.

¶ Contra eſt *ſecundo*, quia Pontifex in hoc ſup Brevi Apoſtolico conceptiſſimis verbis  
I infi-



inficiatur, & negat, haftenus ab Ecclesia, circa hoc mysterium quidquam *decisum*, aut *definitum* esse, neque etiamnum definire, seu decidere illud, suæ mentis, ac intentionis esse. Sic enim ait, *cum à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum; prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus.*

¶ Contra est *tertiò*, quia Pontifex in hac sua cõstitutione, *Sixti IV.* cõstitutionibus inhærens expressè *vetat*, *quempiam asserere, quod propter hoc* (inquit) *contrariam opinionem tenentes* (videlicet B. Virginem Mariam cum originali peccato conceptam) hæresis crimè, aut peccatum mortale incurrant. At verò si hæc cõstitutio esset huius mysterij expressa, ac *formalis definitio*, iam dici posse videbatur, illos esse hæreticos, & peccato mortali obnoxios: cum hæreticus sit, & dicatur, qui definitioni Ecclesiæ obstitit; maxime si id faciat obfirmato in pertinaciam animo: cum ergò Pontifex contrariam opinionem tenentibus hanc notam, necdum inusserit, aut impingi ab alijs permiserit, consequens est, hanc cõstitutionem Pontificiam, nec esse, nec appellari posset simpliciter, & absolutè *definitionem formalem*.

¶ Contra est *quartò*, quia eo ipso, quod Au thoribus, contrariam opinionem tuentibus, (nem-

(nempe Sacratissimam Deiparam in peccato originali fuisse conceptam) hoc ipsum sentire, in foro saltem interiori, nõdum prohibeatur; rectè colligi videtur, nil prorsus contra illos, illorumque opinionem *simpliciter, & absolutè* esse definitum.

¶ Contra est *quintò*, quia (vt Logicis notum est) terminus analogus *simpliciter* prolatus, supponit pro famosiori, seu principaliori significato: atqui hic terminus *Definitio* est terminus analogus, aptusque in diversas significationes distrahi (vt infra probabitur) cuius principalius, & famosius significatum supponit pro re, & articulo Fide Divina certo; ergo hic terminus *definitio* simpliciter, & absolutè, & absque additamento aliquo diminvente positus, supponit pro *definitione, & re, definita de Fide.*

¶ Contra est *sextò*, quia si hæc cõstitutio Pontificia, ex mente Pontificis esset *definitio*; Pontifex apertè sibi contradiceret. Quia iam ex vna parte *definitionem* statueret, ex altera verò *definitionem* elevaret, cū dicat, neq; ab Ecclesia haftenus quidquam esse decisum, nec se velle nunc quidquam decidere: Ergo hæc Apostolica cõstitutio neque est, nec *simpliciter, & absolutè definitio* dici potest.

¶ Contra est *denique septimò*, quia nullus



Author clafſicus, id haecenus docuit. Nulla igitur ratione dici poſſe videtur, hanc conſtitutionem Apoſtolicam eſſe *definitionem formalem*, aut per eam ſimpliciter, & abſolute definiri, aut eſſe *definitum cultum, ſententiam piã, aut utriuſque obiectum.*

¶ Quæſtio hæc maximi prorfus eſt momenti, altiorique omnino indagine digniſſima, quippè cuius recta intelligentia magno pe re conductura eſt

¶ Tùm primò, ad propoſitæ difficultatis expeditiorem reſolutionem.

¶ Tùm ſecundò, ad exactius trutinandas tres illas Anonymorum propoſitiones.

¶ Tùm tertio, ad clariùs percipiendam vim, intentionem, mentem, ac tenorem Brevis S. S. Dom. N. Alexandri VII.

¶ Tùm quartò, ad diſpiciendum, quonam in ſtatu probabilitatis, aut certitudinis hodiernà die reperiatur verſeturque, tam *cultus, ac celebritas*, Immaculatæ Conceptionis myſterio ab Eccleſia delata, quàm ipſa *ſententia piã*, vti & obiectum utriuſque.

¶ Tùm denique quintò, ad hoc, vt quonã pacto, modo, formà, ac ratione, non ſolum de hoc myſterio, rebusque ad illud ſpectantibus, verũ etiã de alijs ſimilibus (veluti inſtitutione feſtorum,

rum, celebratione, & canonizatione S. S. præceptis morum, approbatione Religioſorum Ordinum, ordinatione Divini Officii, indulgentiarum elargitione, & varijs favoribus, ac determinationibus Eccleſiæ, Summorumq; Põtificum) quiſque hoc tempore abſque formidine, aut labendi periculo ſentire, ac loqui poſſit, debeatue, penitiùs intelligatur. Quã ob re operæ pretium eſſe duximus, hoc, & ſequenti §. nonnulla, circã varias definitionis acceptiones, genera, & gradus annotare.

¶ Notandum igitur primò, hoc nomen *Definitio*, tã Grammaticis, quã Philoſophis, ac Theologis, necnon Iuriſperitis uſui eſſe, atque non rarò ab iſdem uſurpari pro eo, quod eſt *approbare, declarare, explicare, confirmare, determinare, conſtituere, & decidere*, videri poſſe *Ambroſius Calepinus, Langius; ex Iuriſtis Bartazol. de clauſul. inſtrum. clauſ. 30. gloſ. 4. num. 1. Rebuffus de verborum, & rerũ ſignif. fol. 793. circã medium, Barboſa tract. de dict. ion. dict. 80. num. 4. vbi ait, verbum Definire, & Declarare eſſe ſynonyma, ſummique etiam pro demonstratione, hinc Ariſtoteles paſſim ait, Definitionem eſſe rerum ignotarum Declarationem.*

¶ Quo fit primò, *Definitionũ* aliã eſſe, & dici *definitiuam, ſeu deciſiuam, aliam declaratoriam, approbatiuam aliã, aliã confirmatiuam, aliã directiuam, & inſtitutiua.*

Ex



*Examiniis Theologici.*

¶ Ex quo secūdo, videmus ab ipsismet Cōcilijs, & SS. Pontificibus, res quasdā *definiri*, nunc *approbādo*, nūc *declarādo*, modō *confirmādo*, vel *decerendo*, aut *constituendo*, nunc denique *diciendo*, & *determinando*. Idque, vel verbis expressis, vel implicitis, & æquivalentibus, vel ipso aliquo opere, & facto. De quo amplius infra.

¶ Hinc deniq; tertio, colligitur hoc nomē *Definitio*, aut *Declaratio*, non semper supponere pro famosiori significato, idest pro definitione rigorosa, aut pro re definita & certa *de fide*, de quo plura infra *notabili* 11.

¶ *Notandum* secundo, hoc nomen *definitio* à varijs multifariam dividi. Et quidem *Sanctus Isidorus Hispalensis, lib. 2. Ethimolog. cap. 29.* omnino quindecim affert membra, hoc *definitionis* nomen dividit, ex varia prædicamentorum combinatione desumpta, quæ videri poterunt apud ipsum. Nos ea dumtaxat hoc loco producemus, quæ ad præsens institutum, & propositam questionem dissolvendam magis facere videbuntur.

¶ *Notandum* igitur tertio, generatim loquendo, *definitionem*, aliam esse, & dici *formalem*; aliam *obiectivam*. *Formalis*, est ipse *actus* internus, vel externus, quo res aliqua definitur, declaraturq; V.g. quo dicitur, & enūtiatur, *homo esse animal ra-*  
tio-

*tionale*. *Obiectivam* vero *definitio*, seu *declaratio*, est ipsū *obiectum*, seu *res*, quæ per eiusmodi actum, seu per definitionem formalem definitur, explicatur, & declaratur, quale est in exemplo allato *animal rationale*.

¶ *Notandum* quarto, *definitionem formalem*, genericè sumptam, dividi in *Scholasticam*, aut quasi *speculativā*, & in *iuridicam*, seu *practicam*. Ad hæc *Scholasticam* aliam esse *Logicam*, hoc est circā secundas intentiones versantem. Aliam *Physicā*, quæ videlicet assignatur partes alicuius rei essentialis, *Physicè* illam constituentes, ut si homo constare dicatur anima, & corpore. Aliam *Metaphysicam*, quæ datur per genus proximum, & *differentiam* ultimam, qualis est, quæ definitur homo esse animal rationale, sed hæc definitiones, cum in præsentiarum nihil magnopere ad rem nostram faciant, ijs præteritis ad alias progredimur.

¶ *Notandum* igitur est quinto, *definitionem* iuridicā, aliā esse *Secularem*, seu *Legalem*, aliam *Ecclesiasticā*, seu *Canonicam*, quæ videlicet quidpiam esse, aut non esse, sequendum, aut fugiendum: credendum, tenendumq; vel è contra, decernitur. Et de hoc postremo definitionis genere nobis hoc loco potissimum sermo erit.

¶ *Notandum* sexto, *definitionem* hanc *Ecclesiasticā*



*ficam*, seu *Canonicam* (strictius, & magis specificè loquendo) aliam esse *formalem*, propriè scilicet, ac specialiter sic dictam. Aliam *virtualem*. *Formalis* est illa, quæ expressis hinc terminis *definimus*, *decidimus*, *decernimus*, *determinamus*, &c. aliquid directè, clarè, & explicitè aperitur, ac declaratur; vt cum dicitur, V. g. *Definimus* Deum esse Trinum, & Vnum: Christum esse verum Deum, & hominem. *Virtualis* est, quæ quid definitur, quod in alio, quod formaliter definitum est essentialiter, aut necessariò continetur, aut involvitur. Vt cum definitur Christus esse verus homo, virtualiter quoque definitur esse risibilis. Vel cum definitur, Deum esse vere Patrem, seu generantem, virtualiter definitur, Deum habere filium. Vel dum ab Ecclesia, seu Pontifice formaliter, & expressè decernitur alicui rei, aut personæ festus cultus, & veneratio publica; virtualiter, & indirectè decernitur quoque obiectum talis cultus, nempe sanctitas rei, vel personæ, quæ proponitur colenda.

¶ *Notandum* septimò, vtrâque hanc definitionem, nempe *formalem*, & *virtualem* adhuc triplicem esse, nempe aliam *mentalem*, aliam *verbalem*, seu verbo, aut scripto editam: denique aliam *realem*, idest *facti*, aut *operis*, quàm alij *tacitam* appellant.

¶ *Prima*, idest *mentalis*, est iudicium illud, seu determinatio, & assensus, quo Pontifex apud se decernit, & statuit aliquid esse, aut tâquam articulum fidei, aut aliquâ aliâ inferioris generis, aut gradus certitudine infallibile, ac certum, atque aded, vt tale, definitione publica, idest aut scripto, aut verbo, aut facto, à se definiendum.

¶ *Definitio verbalis* est illa, quæ Pontifex verbo, aut scripto definitionem mente conceptam pronuntiat, sive id faciat approbando, sive confirmando, seu declarando, statuendo, aut decidendo. Quod quidem fieri assolet duobus modis.

¶ *Primò*, dum explicita atq; expressa hæc verba adhibet, *Definimus*, *declaramus*, *decidimus*, *approbamus*, *innouamus*, *reprobamus*, *vetamus*.

¶ *Secundò*, dum non quidem expressis hinc utitur verbis, sed alijs, implicitè, & æquivalenter idem significantibus, ac mentem Pontificis manifestantibus, qualis V. g. est ille modus declarandi, ac definiendi, quo S. Joannes Evangelista definit, ac declarat illa verba Christi Domini dicentis: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent, aqua viue*, dùm mox subdit, *hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, vbi S. Apostolus, mentem



verborum Christi verbaliter definit, atque declarat, ac per *aquas viuas* intelligendum esse Spiritum Sanctum decernit, tametsi non vtatur verbis his expressis, *definio*, aut *declaro*; sed solū æquivalentibus, seu æquivalenter, idem, quod illa, significantibus, cui persimile est illud, eiusdem S. Ioannis declarantis illa alia Christi verba, quibus dicebat: *Soluite Templum hoc*, quod Salvatoris effatum, cū Iudæi calumniati essent, refellit hebetem eorundem intellectum Evangelista, Christi verba declarans: *Hoc autem dicebat de Templo corporis sui*. Similiter post recentitam murmurationem Iudæ addit: *Hoc autem dixit, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, &c.* Et aliud servatoris dictum Apostolis: *Vos mundi estis sed non omnes*, explicat, ad iungēs: *sciebat enim quis esset traditurus eum*. Et similia passim in Scripturis reperiuntur, quæ sunt declarationes, aut definitiones verbales, non quidem expressæ, sed æquivalentes, virtuales, & implicite.

¶ Denique tertium genus definitionis, idest *realis*, seu *operis*, & *facti*, aut *tacite*, est illud quo, ipso facto aliquo quidpiã ab Ecclesiã, vel Pontifice tenendum, aut respuendum esse proponitur definitur, aut declaratur. Porrò dari in Ecclesia Dei, adeòque admittendas esse huiusmodi definitiones, & declarationes reales, tacitas, seu operis,

& facti ex mox dicendis notabili sequenti amplius constabit.

¶ Notandum igitur octauò, hanc definitionem *realem*, *tacitam*, seu *operis* & *facti*, quatuor potissimum modis fieri consuevisse. *Primò*, longæva Ecclesiæ consuetudine ac vsu. *Secundò*, institutione quadam alicuius rei ad fidem, pietatem, & cultum Divinum aliquo modo spectantis. *Tertiò*, ipso aliquo opere, actu, aut factio à Pontifice patrato. *Denique quartò*, per *tacitum* quendam Ecclesiæ, aut Pontificis probè scientis, & non cōtradictentis *consensum*. Quæ omnia, tametsi Theologis, & viris Ecclesiasticis non possint non esse perspecta, clarioris tamen doctrinæ gratiã pauculis videbantur exemplis confirmanda.

¶ *Primò*, igitur dari in Ecclesia definitiones, & declarationes reales, seu *tacitas facti* & *operis*, per consuetudinem, morem, & vsu, ab Ecclesia receptum constat ex concilijs, & SS. Patribus passim, nos, id vno alterovè exemplo compertum faciemus, illo in primis, quod nobis suggerit M. Melchior Canus ex illustrissima Divi Domini cū familiã, vir doctrinã insignis, qui lib. 5. de locis Theolog. c. 5. §. præterea Concilium Cōstantiense, sic ait: Concilium Cōstantiense, quæst. 13. condemnat vt hereticos eos, qui dixerint Ecclesiam errare in consuetudine administrandi populo Eucharistiam sub vna specie tantum

tum. Et Martinus V. in litteris, quibus hoc Concilium approbavit, qui hoc Eccleſiæ inſtitutum damnant eos definiunt, tanquam hæreticos, vel ſapientes hæreſim coercendos. Et concludens, Eccleſia igitur (inquit) in morum huiusmodi iudicijs (ideſt definitionibus, ac declarationibus, realibus, & tacitis moribus, & conſuetudine ipſa traditis) non errat. Hæc ille, ex quibus conſtat, conſuetudinem, & morem, ab Eccleſia receptum, eſſe quandam tacitam definitionem. Et quidem nonnunquam (vti hoc loco videtur) fidei certitudine certam, quandoquidem conſecondemnantur, vt hæretici, qui eiufmodi conſuetudinẽ reprobabant, quã cenſura notantur ſolum ij, qui aut rebus revelatis, aut vt dogma definitis pertinaciter adverſantur.

¶ Clarius id ipſum diſces ex Sacra Tridentina Synodo, in quã ſeſſ. 13. c. 7. diſcutiebatur, num is, qui ex vna parte ſibi lethalis peccati conſcius eſſet, ex altera verò ſibi videretur contritus, an eiufmodi, inquam copiam habes confefſarij, abſque Sacramentali confefſione accedere ad Sacram Synaxim tutò poſſit. Quã in re definiuit Sacra Synodus id nullatenus licere, eo, quod contrarium per receptam Eccleſiæ conſuetudinem iam dudum eſſet declaratum. Verba Concilij hæc ſunt: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe,*

vt

vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa Sacramentali confefſione ad Sacram Euchariftiam accedere debeat. Vbi iam vides à Sacra Synodo aſſeri, Eccleſiæ conſuetudinem eſſe quandam declarationem, non vtique formalem, & verbalem, vt patet, ſed realem, & tacitam, quã ſupradictus M. Melchior Canus conceptiſſimis verbis appellat definitionem, dum loco ſuperius citato, §. nonne igitur, ſic ait: In Concilio Tridentino ſeſſione citata, habita undecima Octobris anno 1551. de Euchariftiæ Sacramento definitum eſt, confefſionem Sacramentalem Euchariftiæ præmittendam eſſe ſi conſcientia peccati mortalis grauat. Definivit autem Concilium hoc per ipſam Eccleſiaſticam conſuetudinem: Dum per hanc, illud eſſe declaratum affirmat. Conſuetudo ergo declarans per Canum eſt conſuetudo definiens, & illius declaratio eſt quædã definitio, nimirum tacita operis, & facti. Similiter Doctiſſimus Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 66. ſect. 3. §. ſed quæres, de eadem Eccleſiaſtica conſuetudine ſic ſentit: illa inquit, eſt veluti definitio quædam (nempe realis, & tacita) pertinens ad doctrinam, quæ in Eccleſia tenenda eſt.

¶ Similia reperies in eadem Sacra Synodo, eadem ſeſſ. 13. cap. 6. vbi ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, & more vetuſtiſſimo (verba ſunt Concilij) aſſervandi, in Sacra-rijs, Sacra Eucha-  
ri-



ffiam, eademque deferendi ad infirmos, infert, id ipsum declaratum esse, ac definitum, adeoq; omnino deinceps observandum, quare (inquit) Sancta hæc Synodus, retinendum omnino salutarem hunc, & necessarium morem statuit, definiendo nimirum formaliter, saltem implicite, tum per verba, iam iam allata; Tum etiam Canone 7. id, quod iam olim Ecclesiastica consuetudine, in usu, & more fuerat, & per illam realiter opere, & facto, ac tacite declaratum, & definitum, agnoscebat.

¶ Haud dissimilia habet ibidem C. 8. ubi agens de Communione Laicorum, & Sacerdotum, sic ait: Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes celebrantes se ipsos communicarent, qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, iure, ac merito retineri debet, ac si dicat, Ecclesiastica consuetudine, usu, & more id declaratum est, & ideo iure, ac merito observandum.

¶ Rectè profectò, si enim, ut docet Isidorus in Can. 1. consuetudo, dist. 1. ait: Consuetudo est ius quoddam non scriptum, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex diciturque communiter esse facti, & in facto consistere, ut habetur C. 1. de consuet. & Canone citato, cuius vim Sancti Patres, præsertim D. Augustinus eoque extulerunt, ut hic in Epist. ad Casulanum dixerit: In his rebus,

bus, de quibus nil certi statuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et ibidem: Sicut, inquit, prævaricatores Legum Divinarum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. Et Epist. 118. quæ est de varijs variarum Regionum consuetudinibus, tractando de illa, quæ inductum est, ut ieiuno stomacho Sacra Communio accipiatur, sic loquitur: Ad hæc itaque respondeo, ut quia horum sit faciendum, si divina Scriptura præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus. Similiter etiam si quid horum tota per Orbem frequentat Ecclesia: nam & hic, quin ita faciendum sit, disputare, insipientissimæ insaniæ est. Vbi vides S. Doctorem post Definitionem formalem, & expressam Sacrae Scripturae, illi cò addere definitionem virtualem, realem, ac tacitam, seu operis, ex consuetudine, & usu Ecclesiae desumptam. Et fanè si quis debita cum mentis attentione, & studio SS. Ecclesiae Patrum scripta evoluisset, quibus Hereticos, & fidei Catholicae Adversarios impugnant, & exagitant, reperiret illos passim infallibili hac, & certa regula (nempe consuetudine, & more Ecclesiae) usos, quam S. Augustinus hoc loco tradidit Ianuario tanquam rectissimam normam in dubijs eiusmodi incertisque casibus à verò nõ declinandi. Et hoc quidem, de primò, realis, ac tacitæ definitionis modo. Osten-



*Examini Theologici.*

¶ Ostenditur etiam secundum; dari videlicet declarationes, & definitiones reales, seu tacitas operis, & facti, per institutiones ab Ecclesiâ, aut SS. Pontificibus, circa res, ad fidem, Dei cultû, pietatem, ac bonos mores pertinentes, editas, statutas, atque expeditas, licet in ijs hæc vox definimus, aut declaramus expressè posita, haud reperiatur.

¶ Disertis verbis id asserit Doctissimus Societatis Iesu Theologus Pater *Ferdinandus de Salazar* in præclaro illo opere de *Purissima B. V. Conceptione*, cap. 43. Nam §. 4. in fine sic habet: *Per institutionem festi, officij approbationem Summi Pontifices decreuerunt, ac definiuerunt, &c.* Hæc ille: Et ante ipsum *Agidius Lusitanus* l. 3. q. 6. art. 1. §. 7. ferè per totum ubi sæpius ait, festi alicuius institutionem ab Ecclesia factam esse declarationem sanctitatis illius, quod colitur. Idem docet Doctissimus P. *Suarez* tom. 2. in 3. p. sect. 6. §. *Dico* secundò. Denique idem affirmabunt omnes Theologi, quotquot ex institutione alicuius festi inferunt, declarari certitudinem Sanctitatis illius rei, aut personæ, cui per eiusmodi institutionem cultus, & veneratio decernitur, ac præcipitur tribuendus.

¶ Et confirmatur primò, ex *S. Ildephonso*, *Bernardo*, *D. Thoma*, & alijs infra citandis, qui omnes ex  
insti-

institutione, & celebratione publicâ festi *Natiuitatis B. Virginis* (& idem est de festo. *Assumptionis*, & quorumlibet aliorum Sanctorum) colligunt, declarari certitudinem, & infallibilitatē Sanctitatis *Virginæ Natiuitatis*, quam institutionem, & declarationem nonnulli Theologorum aiunt esse quandam definitionem, licet nondum omninò de fide.

¶ Et hæc veritas aded manifesta est, vt *Li bellatores Romani*, libel. 2. n. 17. bellum inferre volentes cultui, *Mysterio Immaculatæ Conceptionis* ab Ecclesia instituto, ac dato, se ipsos suis verbis iugularint dum aiunt: *Sed Ecclesiæ Sanctæ fixa est, & perpetua consuetudo, non colendi nisi certam, & indubitatam Sanctitatem, quod pro comperto habent S. Bernardus, S. Ildephonsus, & S. Thomas, qui hac vnicâ ratione Natiuitatem Virginis Sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat.* Ita illi, probè agnoscentes, festi alicuius institutionem, esse tacitam quandam declarationem.

¶ Confirmatur secundò, quia omnis Ecclesiæ canonizatio est quædam definitio, vti præclarè ostendit Doctissimus iuxta, ac Religiosissimus P. *Ioannes Eusebius Nierembergus* in suo opere *parthenico*, præsertim: *opusc. de formulis canonizationum varijs*, ubi complurimis ostendit exemplis, quasdam canonizationum factas per verba ex  
L pres-



preſſa de ſimus, decernimus, declaramus, vti eſt illa Sanctæ Brigittæ, Sancti Leopoldi Principis Auſtriæ, Sanctæ Catharinæ Senenſis, Sancti Benoniſ Epicoſpi Miſnenſis. Alias verò, per verba æquipollentia, V.g. Declaramus, ordinamus, mandamus Sanctorum Cathalogo duximus adſcribendos. Alias, per conſuetudinem, & communem populi conſenſum, de quo idem Author conſuli poterit.

¶ Nos verò ex dictis ad rem noſtram ſubſumimus hanc propoſitionem, ſed *inſtitutio* alicuius feſti, cultus, & celebritatis, eſt quædam *canonizatio*, vt expreſſiſſimis verbis docet Doctiſſimus Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5. § *huc accedit*, & ſect. 6. in ratione dubitandi à principio. Et poſtea §. *Dico tertio*. Et ex eo *Ægidius Luſitanus* lib. 3. q. 6. art. 1. §. 9. à num. 72. vſque ad 76. vbi etiam pro ſe citat *Fr. Franciſcum de S. Joſeph* aſſeritque ſe hanc ſententiam, vt certiſſimam ſemper amplexum eſſe, quâ nervoſè eleganterque comprobata, vltèrius ait: *Concludendum eſt igitur inſtitutionem alicuius feſti in Eccleſia ſolemniter celebrandi, factam auctoritate Eccleſiæ Romanæ eſſe veram, & propriam illius feſti canonizatiorem.* Et *Euſebius citatus* §. 1. in fine, ait: Nos rectè ratiocinari, à canonizatione Sanctorum ad inſtitutionem feſti alicuius myſterij. Ergo feſti alicuius *inſtitutio*, eſt quædam *realis, & tacita deſinitio*; eaque (aut de re

omniò fide certà, aut ſaltè de re, alià aliqua certitudinis ratione infallibili, ac indubitata) quâ *decernitur* (verba ſunt *Ægidij paulò ſuperius allatis adiecta*) *feſti alicuius publica celebratio, & deſinitur vera illius Myſterij Sanctitas, & proponitur fidelibus veneranda, ad exaltationem fidei Catholice, & Chriſtiane Religionis augmentum.* Hæc ille. Quibus apertè noſtrum aſſertum docet, & comprobatur dum ait: *Inſtitutionem alicuius feſti eſſe veram canonizationem myſterij talis feſti celebrandi, atque vtrumque eſſe quandam deſinitionem, nempe facti, & operis, ſeu realem, & tacitam.*

¶ Quod ad tertium attinet, nempe reperi-ri, etiam *declarationes, ac deſinitiones reales, ac tacitas*, id eſt *opere exhibitas, & veluti ipſo facto pronuntiatas*, apertiſſimis verbis docent *Auctores paulò ſuperius adducti*, nempe *Soarez, Ægidius Luſitanus, Salazar, Ioannes Euſebius Nierembergiiſ hociſ citatis*, in quibus aſſerunt *exhibitionem, & delationem alicuius cultus Sacri, ſeu celebrationem publicam alicuius feſti ab Eccleſia inſtitutam, & re ipſa, ac facto alicui myſterio impenſam, eſſe veram alicuius ſanctitatis infallibilis declarationem, ſaltem realem, & deſinitionem tacitam.* Ipſa exhibitio cultus (inquit *Salazar*) à Sede Apoſtolica proficiſcens *tacita quædam deſinitio eſt.* Et infra §. 3. *Illud etiam, ait, pro certo habeo, ipſam delationem cul-*



Examiniſ Theologi.

is, auctoritate Pontificia demandatam, eſſe tacitam declarationem, ac definitionem eius Sanctitatis, cuius veneratio, ac cultus præcipitur. Similia habet Agidius, & Soarez, quorum verba, §. ſequenti opportunius afferemus.

¶ Et ſane meritò nominatis id Authoribus viſum fuit, ſicuti enim quædã teſtamur, determinamus, approbamus, decernimus, & definimus, affirmamus, & negamus verbo, vel ſcripto, ita quãdam ratione, ſeu æquivalenter eadẽ præſtamus, opereque, ac factò reape efficiamus.

¶ Quid enim? nonnè dilectio, voluntatis eſt, & tamen ab Apoſtolo iubemur diligere nõ ſolum verbo, & lingua, ſed opere, & veritate, id eſt reipſa, & factò? Nam vt ſcitè, ait Gregorius Magnus, probatio (ideſt vera declaratio) dilectionis, exhibitio eſt operis. Certè fidei Catholicæ myſteria palam profiteri, aut inficiari dicimur, non ſolum tunc, cum verbis eadem adſtruimus, aut ore negamus; ſed etiam cum factis, conformibus eorũdem veritati ſubſcribimus, aut opere contrario, valori derogamus. Vnde rectè Apoſtulus de ſimilibus ait: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Sic, & Catholici verſantes inter hæreticos, aut infideles, dum, aut ſacroſanctæ Crucis ſignaculo palam ſe

muniunt, aut preces Virgini decurrentes, globulos Marianos manibus terunt, fidem Catholicam eiufmodi factò profiteri, ac proteſtari cenſentur.

¶ Ita contrariæ opinioni adherentes, poſt Bullam Gregorij XV. (quã in Divino Officio omnibus omninò Conceptionis nomine vt præcepit) quanquam in animo ſuo contrarium ſentiebant, quia tamen verbis externis piorum Catholicorum votis accedebant, conceptam ſine labe originali Virginem verbis confiteri cenſebantur: tametiſi, vt diximus facta animi, linguæ minimè correſponderent.

¶ Sicuti igitur res fidei, ac ad fidei materiam ſpectantes, non ſolum verbis; ſed etiam opere, & factis ab hominibus affirmantur, & negantur; ita etiam res eadem, ab Eccleſia, & Summis Pontificibus, non ſolum verbis, aut ſcriptis; verum etiam ipsis operibus, & factis, tacito quodam modo, & æquivalenter, declarantur, ac definiuntur; imò, & ab ipſo Deo vtroque hoc modo revelantur, vt paſſim conſtat in Sacris Evangelijs, & diſertè docent SS. Patres, è quibus S. Leo Papa Homil. de transfig. ſic ait: *Saluator humani generis Ieſus-Chriſtus, condens eam fidem, quæ, & impios ad iuſtitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc diſcipulos ſuos doctrine monitiſ, & operum miraculiſ:*



Examiniſ Theologicæ.

imbuebat, vt idem Chriſtus, & Vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur. Vbi iam vides, non modò doctrine monitis, id eſt verbis; verum operum miraculis, id eſt, iſtis factis doceri fidem, revelari, ac definiſ credenda. Nec aliter S. Auguſtinus tract. 20. in cap. 7. Ioannis, vbi exponens illa verba Apoſtoli, Ambulauit Ieſus in Gallileam, &c. quia querebant eum Iudei interficere, ſic ait: In iſto Euangelij capitulo, fratres, Dominus Ieſus Chriſtus, ſecundum hominem ſe plurimum commendauit fidei noſtræ. Etenim ſemper hoc egit dictis, & factis ſuis, vt Deus crederetur, & homo, ac ſi dicat, dum Chriſtus Dominus, veluti metueret Iudæos, ſuæ vitæ inſidiantes in Gallilæâ, quaſi fugiens conceſſit, hoc ipſo facto, & opere, tanquam tacitâ quadam revelatione, ac definitione, ſe hominem eſſe declarauit, definiuit que.

¶ Idem S. Pater ſerm. 3. de Aſcenſione, qui eſt 176. de tempore. Omnia, inquit, quæ Dominus Ieſus Chriſtus in hoc mûdo ſub fragilitate noſtra miracula (id eſt opera miraculoſa) edidit, nobis proficiunt. Quia dum humanam conditionem ſideribus importauit (hoc ipſo facto) credentibus Cælum patere poſſe monſtrauit, (id eſt, declarauit, definiuit) & dum victorem mortis in cœleſtia eleuauit, (hæc ipſa elevatione, & operatione) victoribus, quæ ſequantur oſtendit, id eſt manifeſtavit, declarauit, determinauit. Et concludit, dicens: Aſcenſio ergo Domini, Catholica fidei confir-

firmatio (id eſt confirmatoria revelatio, & definitio) fuit, vt ſecuri impoſterum crederemus miraculi illius) id eſt noſtræ ad Cœlos Aſſumptionis) domum, cuius iam in præſenti (per ipſum Chriſti Domini factum, tanquam per realem, & tacitam quandam definitionem) percepſſemus effectum, & fidelis quiſque, cum iam tanta perceperit, per ea, quæ (facto Domini revelata, ac definita) credit, & agnoſcit præſtita, diſcat ſperare promiſſa. Hæc Sanctus Auguſtinus ibi, & his ſimilia ſæpius alibi; cumque eo Sancti Patres paſſim. Ex quibus conſtat dari revelationes, & definitiones non ſolum verbo, & ſcripto; verum etiam opere, & facto exhibitas, traditaſque.

¶ Probatur id ipſum ex iſdem Sanctis Patribus, Eccleſiæ Doctoribus, & Sacræ Scripturæ interpretibus, qui omnes vnanimiter aſſerunt, Chriſtum Dominum confirmari ſtatû Matrimonij, & declarari, tanquam licitum, & Sanctum, ſolo facto, quo præſens, & perſonaliter intereſſe, & aſſiſtere voluit Nuptijs, in Canâ Gallileæ celebratis, hancque Domini præſentiam, & perſonalem aſſiſtentiam fuiſſe quâdam definitionem, & declarationem honeſtatis, & ſanctitatis illius ſtatus; abſque aliâ definitione formalis, verbo, aut ſcripto tradita. Videatur S. Auguſtin. S. Epiphanius, & alij relati à Maldonato in cap. 2. S. Ioannis.



*Examinis Theologici.*

¶ Probatur amplius ex iisdem Sanctis Patribus, præsertim ex S. Bernardo, S. Illephonso, & S. Thoma, citatis passim ab Authoribus, & infra à nobis referendis, qui ex ipso facto Ecclesie, quo publico, ac solemni ritu colit, ac celebrat Nativitatem B. V. inferunt, hanc fuisse infallibiliter Sanctam, eodemque hoc facto Ecclesie mentem, ac iudicium tanquam dictæ Sanctitatis declarativum, & definitivum, realiter ipso facto, & tacitè quædam ratione esse manifestatum. Ipsa igitur actualis alicuius festi celebratio, & exhibitio cultus, à Sede Apostolica proficiscens, est quædam realis, & tacita alicuius Sanctitatis declaratio, ac definitio.

¶ Probatur id ipsum præterea: quia canonizatio, alicuius personæ, aut rei Sanctæ, ab Ecclesia, seu Pontifice facta, est quædam definitio; hæc autem olim fiebat, aut per definitionem formalem verbalem, idest, verbis expressis definimus, decernimus, &c. traditam; aut per verba æquipollentia, V. g. Mandamus, ordinamus, Sanctorum numero adscribimus, seu adscriptum volumus. Aut ipso aliquo facto fidelium, à Sede Apostolica concessa, qualis fuit, illa Sancti Romualdi, pro vt testatur Beatus Petrus Damianus, cap. 72. vite illius, & narrat Baronius, & ex eo Spondanus ad annum 1027. vbi sic ait: *Constat autem ex eodem Petro, ipsum*

sum Romualdum in Sanctorum numerum adscriptum esse quin quennio post obitum, eo tantum antiquiori ritu, qui tum etiam frequentius erat in usu, nempe, vt petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus defuncti Altare construere: sicut, & idem Petrus in Epistola ad Henricum Archiepiscopum Rauennatem refert de alijs Sanctis, miraculis coruscantibus, qui hoc eodem tempore vixere, supra quorum corpora, ex Concilij authoritate, Altaria sunt erecta, atque desuper Sacrosancta Christiani sacrificij mysteria celebrata. Vbi vides per ipsum talem cultum, authoritate Summi Pontificis, Sancto Romualdo exhibitum, sanctum hunc, re ipsa fuisse canonizatum, non minus, quàm illos alios, quos per verba definimus, decernimus, &c. novimus canonizatos: ergo, si canonizatio illorum facta per definitionem verbalem & expressam, est quædam definitio, etiam canonizatio realis, exhibitæ aliquo facto, vel opere erit quædam definitio, saltem tacita; taciti enim, & expressi idem est iudicium, vt ex varijs legibus docent Iurisperiti, apud Barbosam tract. de varijs axiomatibus Iuris, axioma 218. num. 1. & 2. præsertim quando Tacitum includitur in natura expressi, vt fit in casu præsentis. Alia exempla huius generis videri poterunt apud Eusebium Nierembergium de sanct. instit. fest. Conceptionis, §. 7. & de varijs formulis canonizationum per totum tractatum.

¶ Confirmatur. Quia quis dubitaret personam aliquam, esse verè, & realiter *canonizata*, de qua Pontifex publicè Missam diceret, & precibus fuis ipsius opem apud Deum imploraret; tametsi, nec verbo *definimus*, vteretur, nec Bullam canonizationis expediret?

¶ Sanè, sic hanc rem intellexit quidam illustrissimorum Cardinalium, qui assistès Summo Pontifici *Innocentio Quarto*, audità morte *Sanctæ Clare*, illicò Missam de eà, tanquam de Sancta celebrare paranti suggessit, videri sibi, pro tunc huic *facto*, & actioni super sedendū nec in re adeò gravi, statuendum aliquid præproperè, eo quòd ipsa talis Missæ celebratio, esset quædam *realis*, ac *tacita canonizatio*, adeòq; sanctitatis, illius Virginis, quædam *declaratio*, & *definitio*.

¶ Nec alio modo *Clemens Octauus*, Beatorū numero accensuit, *Beatum nostrum Stanislaum Koska*, quàm collocando super ipsius Tumulo Imaginem eiusdem, & recitando orationem Ecclesiæ de Confessore. Ipsa ergo talis *colocatio* imaginis, & dicta illa a Pontifice *oratio* erat *Beati huius beatificatio*, adeòque *realis*, & *tacita* *Beatitudinis illius declaratio*, ac *definitio*, non minorem, quàm si exhibita fuisset per verba expressa, *valorem habitura*.

¶ Mirificè, hætenus dicta, confirmantur præclaro testimonio *D. Hieronymi* contra *Vigilantium*, quo tribus nervosissimis argumentis probat, fidei veritatem esse eam, quàm *Sanctorum Reliquijs* deferimus venerationem, idque non ex aliquo Pontificio Decreto, Ecclesiæque sancito evincit, sed *facto ipso*, atque *opere* a Pontifice, Ecclesia, & populis *Fidelium* exhibitò confirmat, cum ait. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli, secundum nos, ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia: & tumulos eorum, Christi arbitratur Altaria?* Et hoc quoad factum Pontificis, quod sufficientem contra hæreticū definitionem sanctus Doctor iudicat, ad venerationem *Reliquiarum*, vt fidei articulum asserendam.

¶ Pergit ad definitionem ex opere Ecclesiæ, suæque *consuetudinis*, atque ait: *Et non solum vnius vrbs, sed totius orbis Episcopi, qui Cauponem Vigilantium contemntes, ingrediuntur Basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus, & fauilla, nescio que iacet, linteamine aboluta. Ecce argumentum ex facto Episcoporū, quo iure meritò hæreticus convinci debuit, cum eiusmodi acta sint vidente consentienteque Pontifice, qui utiq; ignorare nō potuit quod omnes iunctim Episcopi factitalent.*

¶ Scitè in hanc rē loquutus insignis Theologus Ioannes Baconius quodlibet. 3. q. 13. inquit: Quod Ecclesia approbat per factum suum, debet palam approbare, iure super hoc edito, ne simulatoriè videatur approbare, sed hoc festum approbat ut per factum suae tolerantiae, &c. Tām propinquam nimirum iudicat hic Author factō Ecclesiae formalem definitionem, hancque eidem veluti deberi existimat, ne quod cōsilio factum est, per dissimulationem effectum videatur.

¶ Allegat tertium argumentum supra adductus: Ecclesiae Doctor, ex factō Pontificū & populorum. *Vt solus Vigilantius, inquit: Ebrius, & dormiens adoretur. Ergò sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreae, &c. Sacrilegus dicendus est, & tūc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis, &c. Omnes Episcopi, non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos, in serico, & vase aureo portauerant: Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquijs, & tantā letitiā, quasi presentem, viuentemque Prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palestina vsque Calcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent.*

¶ Non licuit nobis in verbis Hieronymi brevioribus esse, quia singula sunt veritatis, quām

quām in praesentiarum probatum imus, luculenta testimonia ad *Definitionem ex opere, & consuetudine* Ecclesiae, ac fidelium populorum comprobendam. Quo sanè argumento, no solum Hieronymus, ad errores Vigilantij confutandos egregiè est vsus, sed alij insuper Ecclesiae Patres contra haereticos praeriantes (veluti ex eorum lucubrationibus videre est) tantum eidem tribuerunt, vt *consuetudine, factoque* Ecclesiae, non minus contra Sectarios, quām eiusdem *formali, & expressa definitione* sese crederent armatos.

¶ Verum si deductus haecenus discursus durior alicui videri possit, citatum S. Doctorem, obtrectanti reponemus, iisdem, quibus ille se verbis ad Pamachium tuetur, nos quoque defendentes: *Si autem durus in eo videor, quia dixi; quidquid equaliter licet, equali lance pensandum est, putò non me crudelem vocabit, & rigidum.* Maximè cum nos facta Pontificum, consuetudinem Ecclesiae, ac populorum consensum pro veritate allegantes, nihil definiendo adstruamus, sed solum legitimam auctoritate firmare, id nostrae intentionis sit, quod Bulla *Alexandri VII.* in favorem sententiae piaë, festi, & cultus toti Ecclesiae manifestavit.

¶ Denique dari quoque in Ecclesia *quartò*





*Examinis Theologici.*

*modum definitionis realis, & tacite, seu facti, & operis, nempe per tacitum Ecclesiae, aut Summorum Pontificum consensum, rem aliquam, aut factum tacite approbantium, confirmantium, declarantium, atque definitientium. Probatur tum primo, ex eo, quod, olim nimirum ante Alexandrum Tertium, qui floruit anno 1160. Episcopi in suis Dioecesibus potuerint canonizare Sanctos, eisdemque instituere festa, suisque subditis proponere celebranda, uti docent Baldensis, Belarminus, Soarez, quos citat, & sequitur Aegidius Lustranus lib. 3. q. 6. art. 1. §. 11. per totum. Et probant ex S. Cyprian. lib. 3. Ep. 6. Item ex cap. 1. de consecrat. dist. 1. ubi dicitur. Et illae festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus collaudauere. Ex quo textu Diuus Bernardus, citatus a glossa, absolute docet, Episcopum in sua Dioecesi posse Sanctum canonizare, quem plures sequuntur ex Canonistis. Id verò (verba sunt Aegidij) sanè non fiebat absque Romanae Ecclesiae consensu, & tacita approbatione. Videns enim Romana Ecclesia (pergit idem) in omnibus fere Ecclesiae partibus plures Sanctos ab Episcopis canonizari, & illis festorum celebrationes institui; dum eos non prohibebat, easdem approbabat, adeoque suo etiam calculo, per tacitum consensum adiecto, & ipse tacite canonizabat.*

¶ Libet hoc ipsum confirmare verbis Doctoris-

*ctissimi, & doctrinae Diui Thomae addictissimi Theologi Patris Iacobi Granados, qui tomo de Fide tract. 7. disp. 7. sect. 3. sic scribit: Ante quam haec apostolicae Sedis prohibitio facta fuisset, & consequenter, antequam canonizationis munus, sibi soli reseruasset, in more positum erat, ut Martyres, quos vnus Episcopatus venerabatur, aliae Ciuitates, & Prouinciae eum imitantes, colere inciperent, sicque tandem omnes Prouinciae, & vniuersalis Ecclesia, tanquam Sanctum veneraretur, quod fieri non posset, nisi sciente, & tacite saltem consentiente Summo Pontifice. Atque hic canonizationis modus aptè dicitur, ex consensu vniuersalis Ecclesiae prouenire, & in illud sine dubio conuenire definitio, tradita in prima sectione. Est enim haec etiam sententia, seu iudicium, quo decernebantur honores Martyribus, & verè Sanctis. Nec minus propria, & vniuersalis canonizatio censeri debet ea, quae non solum Martyribus propria est, sed ad Confessores, & Virgines extenditur, consistitque in eo, quod auctoritate Ecclesiae vniuersalis, & Summi Pontificis in Diuinis Officijs publicè ab omnibus Ecclesijs recenseantur, aut aliter omnes Ecclesiae, audiente, & tacente Papa conspicerent in approbanda alicuius sanctitate, ut bene Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 6. q. 3.*

¶ Hoc posito, sic argumentor. Canonizatio alicuius rei, aut personae sanctae ab Ecclesia, aut Pontifice, siue verbis expressis, siue aequivalentibus, siue etiam opere aliquo, aut facto

per-

peracta, est quædam declaratio, & definitio sanctitatis illius rei, aut personæ, ut supra ostendimus, & amplius ex dicendis constabit; sed Tacitus consensus Ecclesiæ, & Pontificis scientis, & non contradicentis, in aliquam canonizationem ab aliquo, vel aliquibus, particularium Ecclesiarum Episcopis, & populis olim factam, erat quædam Ecclesiæ, & Pontificis, approbatio, & approbatiua canonizatio, quandoquidem (ut aiunt Ægidius, Granadus, Azor, & alij) illa Episcoporum canonizatio fieri non potuisset, nisi sciente, & tacite saltem consentiente Summo Pontifice. Ergo Tacitus Ecclesiæ, & Summi Pontificis consensus erat non solum quædam canonizationis approbatio; verum etiam sanctitatis illius rei, aut personæ declaratio, ac definitio.

¶ Probatum secundò, ex S. Gregorio Nazianzeno, qui ad Nectarium scribens, explicansque, quam varias inter hæreses difficultates sustineret, quodque Ariani gloriarentur: Ecclesias confligentes, quasi ex permissu hoc facientes, venit ad Apollinarios, eorumque audacem iactantiam referens addit: Proinde si his, qui talia sentiunt cætus habere licet, illud velim cogitet, atque expendat tua in Christo illustris prudentia: quod cum nobis, cum eorum dogmatibus non conveniat, cætus habendi potestatem, illis factam esse, nihil aliud est, quam eorum doctrinam, nostram veriorē  
exi-

existimare. Nam si illis, ut pijs, & orthodoxis, qua sentiunt docere, liberè que promulgare permittitur, quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde, ac veritate ab illorum partibus stante? Neque enim rerum natura fert, duas, de eadem re contrarias doctrinas veras esse. Ex hac Sancti Præfulis doctrina luce clarius constat veritas nostræ sententiæ. Et primò quidē, quod permissio, sit quædam approbatio. Alterū, quod concessio, ut aliquid tanquā pium, & ut sensus Catholicus prædicetur, populovè proponatur, sit manifesta contrarij reprobatio. Demum, cum alioquin inferatur tertium, id est duas doctrinas contrarias, posse contra omne rationis dictamē esse simul veras. Quod ut nostræ doctrinæ applicetur, dicimus tacitum consensum Summi Pontificis esse, & æquivalere expressæ approbationi rei, cui consentit. Dicimus præterea non consentire solum Pontificem, sed iubere insuper prædicari nostram piam sententiam, cultum, & festum, claudendo os opinioni contrariæ, ergo benè inferimus, hoc mandatū, esse nostræ doctrinæ approbationem, reprobationem contrariæ, eo gradu, & modo, quo nostra vera, certa que esse adstruetur, §. seq. & infra p. 2. §. 8. Et hanc peremptoriam Nazianzeni rationem (duas doctrinas oppositas simul esse veras non posse) præ oculis habuere Pontifices, dum nostram sententiam approbarunt, reiecerunt contrariam. N Hanc



¶ Hanc eandem fuggeſſit quondam *Marianus Archimandrita*, Agapito Pontifici, in ſimili calu cum ait: *Non poſſunt* (inquit) *duo contraria ſimul eſſe vera: Si hereticis facultas datur* (etiam permiſſiva) *hæreſis prædicandæ, iſtud ipſum fateri eſt, apud ipſos veritatem eſſe; a nobis autem illam penitus defeciſſe.* Ex quo infero primò, ergò hoc ipſo, quod Eccleſia, aut SS. Pontifices facultatem dabant olim Episcopis, & tacitè conſentiebant in canonizationes, ab ipſis factas, & vt feſta publica inſtituerent, & canonizatos ſolemni celebriſſe. Hinc infero ſecundò ex oppoſito. Ergo ſi alicui, ſimilis facultas non datur, aut ſi ab Eccleſià non permittitur prædicari, aut doceri aliqua opinio, iſtud ipſum fateri eſt, & *Tacito* quodam modo *declarare*, illam veram non eſſe, & ex adverſo ſententiã oppoſitam declarari *tacitè*, eſſe veram: *Tacitus* igitur Eccleſiæ, aut Pontificum *conſenſus*, eſt quædam realis, & tacita *approbatio*, *declaratio*, ac *definitio* ſaltem approbativa.

¶ Confirmatur hoc totum ex trito illo Iuriſperitorũ axiomate, quo dicitur, quod, *qui tacet cõſentire videtur*, quod omninò eſt veriſſimum, in favorabilibus, præſertim Reipublicæ, Pupillis, & Eccleſiæ, in quibus tacens habe-

tur pro conſentiente, etiam in ſibi damnolis, quâ de re vide *Barbeſam ſupra citato loco, axiomat. 217.* & complures alios apud ipſum.

¶ Et conlonat pulchrè illud tragicæ. *Qui non vetat peccare, ſeu fieri, cum poſſit, iubet.* Ergò *Sūnus Pontifex*, videns ferè omnes Catholicos amplecti ſententiã piã, colereq; gratiam originalem B. Virginis, & non prohibens, id ipſum iuſſiſſe cenſendus eſt, *tacitoque ſuo conſenſu*, tãquã verum, & ſanctum hoc ipſo genere facti virtualiter *declaraffe*, & *definiſſe*.

¶ Confirmatur id amplius, obvio in his terris exemplo. Si quis Regis Catholici vaffallus in ſui Regis præſentia, operto capite appareret, idque iteratis vicibus, vidente quidem, ſed nec ſigno, nec verbo contradicente Rege, imò ſat claris indicijs cõnivente: nũquid iſtiusmodi, hæc ipſa Regiã taciturnitate pro conſenſu habitã, primis Regni Magnatibus (quos vulgò *Grandes* vocant) accenſeretur? Sicut aliquãdo ab Inviçtiſſimo Cæſare Carolo V. factitatum fuiſſe narratur.

¶ Ergò ſimiliter *tacitus* Eccleſiæ, aut Pontificis *conſenſus*, quo ſciens, & volens alicui ſententiæ, circã materiam ad fidem ſpectantem verſanti, aut celebriſſe, & cultui alicui publicò non contradicit, eundemvè non prohibet,



hoc ipso illum approbat, tacitoque modo confirmat, atque declarat.

¶ Manet igitur comprobatum, dari in Ecclesia, definitiones, & declarationes quasdam reales, ac tacitas, seu operis, & facti, quibus, haud secus, ac per definitiones formales, verbales, & expressas, res ad fidem, & pietatem spectantes, declarantur, determinanturque.

¶ Notandum nono, Pontificem, ut Ecclesiae Pastorem, etiam absque interventione Concilij generalis, posse valide, & licite definire doctrinas, & articulos fidei, aliarumque materias, ad fidem, bonos mores, pietatem Christianam, Divinumque Cultum spectantes. Ita communiter Doctores Theologi, ut videre est apud *Dianam part. 1. tract. 2. de infallibilitate Decretorum Romani Pontificis extra Concilium, praesertim resolut. 2. & 4. Et apud Ambrosium Peñalosa in vindicijs Deiparae Virginis, disput. 1. 4. cap. 1. num. 2. Vbi citat S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 10. Cayetanum, Bañez, Aragonium, Valentia, Bellarminum, Suarezium, Granadum, Castropallao, tom. 1. tract. 4. dist. 1. punct. 5. §. 2.*

¶ Et ratio est breviter tum primò, quia assistentia Spiritus Sancti, ne Ecclesia deficiat in fide, aut dogmata falsa proponat, promissa est Divo Petro, eiusque successoribus absolute, & non cum dependentia à Concilio generali, uti con-

constat ex compluribus Sacrae Scripturae locis, infra parte 2. §. 9. adducendis.

¶ Tum secundò, quia Summus Pontifex est supra Concilium generale, ut recte probant Bellarmius lib. 2. de auctor. Concil. à cap. 23. Granados controu. 1. de fide, tract. 7. disput. 1. sect. 5. & alij apud ipsos. Ergo si Concilium generale articulos fidei condere potest, multò magis id poterit Summus Pontifex, utpote illo superior, & quod auctoritatem, & potestatem definiendi infallibilem ab illo accipit, illiusque semper eget confirmatione.

¶ Tum tertio, quia in Concilio Lateranensi ultimo, Leo X. in sua Bulla contra Lutherum damnavit tanquam haereticum, articulum 24. Lutheri, in quo affirmabat, Papam sine Concilio nihil posse definire de fide.

¶ Tum quartò, quia multoties Summi Pontifices, absque Concilio generali, aut Provinciali controversias quasdam, tum ad fidem, tum ad mores, etantes determinaverunt, atque definirunt. Sic enim Leo IX. in explicatione fidei ad Petrum Antiochenum sine Concilio definivit animas hominum creari ex nihilo. De qua veritate prius multum disputabatur. Sic Benedictus XII. sine Concilio definivit animas iustorum vitae a sanctorum, ante diem iudicij universalis videre Deum, contra quosdam id



id olim negantes. Pius V. & Gregor. XIII. abſque Concilio condemnarunt definitivè permultas propoſitiones Michaelis Baij. Clemens VIII. quæſtioni illi, an liceat *abſentem ſacramentaliter abſolvere*, abſque Concilio finem impoſuit. Gregor. XIII. in *Extruuag. Aſcendente Domino*, adverſus quorundam Catholicorum opinionem extra Concilium ſtatuit, vota ſimplicia à Scholaſticis Societ. atis Ieſu poſt Biennium Novitiatùs ritè edita, veros ac proprios efficere Religioſos. Innocentius X. anno 1653. abſque coacto Concilio definitivè damnavit, tanquam hæreticas quinque propoſitiones Cornelij Ianſenij. Quod ipſum paulò poſt SS. D. N. Alexander VII. non ſolum confirmavit, verum etiam ad quaſdam contortas illarum interpretationes extendit. Denique id ipſum multis alijs occaſionibus à Summis Pontificibus eſſe factitatum conſtat ex varijs capitulis Decretalium.

¶ Et hinc Authores horum temporum unanimiter, & conſtanter inferunt poſſe etiam Summum Pontificem abſque interventione Concilij generalis ſententiam piam, ac noſtram, non ſolum validè, verum etiam licitè, tanquàm fidei articulum determinare, atque decidere, quos, quia paſſim obvii ſunt, videre poterit qui volet.

¶ Notandum decimò, Eccleſiam, & Pontificè ex Cathedra loquentem, non poſſe errare in tradenda fidei doctrinà, adedque quidquid definiert, decreveritque, id omninò veriſſimum, infallibile atque certiffimum eſſe. Ita S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 10. Cayet. Bañez, Aragonius, Valentia, Bellarmin. Suarez, Granad. Caſtropallao, & alij communiter apud hos, citati a Peñaloſa, diſp. 14 cap. 1. Idque (ſi de articulis fidei loquamur) ait Suarez eſſe certum de fide. Si verò de rebus ad mores, & pietatem ſpectantibus fermo ſit, id ipſum iudicat D. Antonin. Sylueſter, & Fr. Magiſter Ioann. à S. Thoma. Alij vero a fidei certitudine parum abeſſe putant. Quorum doctrinam, ac verba referemus commodius infra, p. 2. §. 8. & 9.

¶ Notandum undecimò, Summum Pontificem definire, ac declarare poſſe, non ſolum, doctrinam aliquam eſſe certam de fide, ſeu eſſe dogma, & articulum fidei; verum etiam eſſe magis probabilem, magisque tutam, ita vt in hac declaratione errare non poſſit, ita docent Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 17. & 18. & in 4. diſt. 1. quaſt. 3. art. 1. Melchior Canus de Sacram. 4. p. poſt Conc. 5. & lib. 7. de loc. Theol. cap. 2. Vazq. l. 11. diſp. 86. Ludovicus Turrianus in 2. 2. D. Thom. diſp. 14. dub. ultim. & diſp. 56. dub. 5. Arrubal. q. 11. circa articul. 2. Soarez tom. de fide, diſp. 5. ſect. 6. num. 3. & 8. Salazar cap. 43.



§. 1. & alij, ut ipse ait, non pauci, quos qui volet cōsulere poterit.

¶ Notandum duodecimò, de facto non semel à Concilijs, & Pōtificibus quasdam opiniones, ac sententias fuisse declaratas, ac definitas, esse magis probabiles, seu tanquam magis pias, magisque tutas, quemadmodum ijdem Authores docent. Quo pacto in Concilio Viennensi celebrato sub Clemente V. decisum, seu definitum est, esse magis probabilem illam opinionem, quæ docebat, parvulis, in baptisate simul cum gratiâ sanctificante infundi habitus supernaturales virtutum fidei, spei, & charitatis, &c. quàm declarationem, seu decisionem expressis verbis appellat definitionem Pater Aegidius Conink. l. 1. de moralit. natur. & affectibus actuum supernaturalium, disp. 6. dub. 1. num. 7. ibi: *Etsi Concilium non definiat esse omninò certum, parvulis virtutes in Baptismo infundi, tamen definit id esse probabilius.* Eodem nomine definitionis hanc istius Concilij declarationem donat Ripald. de ente super lib. 6. disp. 120. sect. 1. num. 3. in medio. Idem docet de sententia pia Pater Ferdinandus Salazarius, cuius doctrinam, & verba mox afferemus. Ex hactenus verò dictis venit.

¶ Notandum decimotertio, ac principaliter, non omnem statim declarationem, decisionē, aut

a ut definitionem, cuiuscunque tandem sit generis, id est, si vè ea formalis sit, si vè virtualis, si vè verbalis idque expressa, vel implicita, si vè denique realis, & tacita semper, & vbi cunque reperta fuerit illicò esse definitionem fidei, seu de re, dogmate, aut articulo, certitudine fidei Divinæ credendo; sed posse esse, quin & re ipsa sæpe sæpius esse, de sententiâ, obiecto, aut re quâpiam, aliquo duntaxat inferioris generis, & gradus probabili, aut certa.

¶ Probatur hæc assertio. Tūm primò, quia apertè sequitur, ex hactenus dictis, præsertim in duabus præcedentibus annotationibus.

¶ Tūm secundò, ex definitione Concilij Viennensis, paulò superius citato, cuius determinationem Conink, & Ripalda, ex vna parte simpliciter appellant definitionem, quam tamen ex altera parte constat, non esse de sententiâ, fide certâ, sed duntaxat tanquam de probabiliore.

¶ Tūm tertio, ex doctrina M. Melchioris Cani, insignis Thomistæ, qui l. 5. de locis, cap. 5. §. ne igitur, postquam consuetudinis Ecclesiasticæ declarationē (quâ determinabatur ne quis conscius peccati mortalis, tametsi sibi videatur contritus, absque Sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedat) explicatissimis verbis appellasset definitionem; paulò tamen infra docet,



et, hanc definitionem non esse fidei, seu de re fide Divinà credēda. Et idemasserit de definitione Concilij Constantiensis, & Martini Papæ, illud approbantis, agnoscens, illam fuisse veram definitionem; & tamen paulò post negat eos, qui illi adversarentur, esse aut appellari debere hæreticos: quà tamen censura notandi omnino forent, si definitio illa dogmatica, & de fidei articulo extitisset; agnoscit igitur Canus dari aliquas definitiones Conciliorum, & Pontificum, etiam formales, verbales, & expressas, quæ tamen non sint, vt definitiones, aut dogmata fidei habenda.

¶ Probatur quintò, ex eo, quod Doctissimus P. Soarez, & Conink prohibitionem illam, & declarationem, quà Clemens Octavus declaravit, illicitam, & invalidam esse absolutionem Sacramentalem, collatam pœnitenti absenti liberè appellent definitionem. Sic enim habet ille, tom. 4. in 3. p. disp. 19. sect. 3. num. 16. in fin. Est igitur, inquit, iam dicta sententia certa, in gradu à Pontifice definito; Conink autem de pœnit. disp. 4. dub. 10. num. 61. Iam verò, inquit, cautius hæc de re agendum est, post definitionem Clementis Octavi. Quibus adde Patrem Vazquez tom. 4. in 3. p. q. 91. art. 4. dub. 2. nu. 2. Vbi sic ait ante quam Clemens Octavus definiisset, ac determinasset opinandi licentiam circa præsentem controuersiam.

sciam, &c. Et tamen constat ex censuris, à Clemente Octavo, huic suæ prohibitioni, seu declarationi, & definitioni adiectis, quibus contrarium asserentes, eorumque doctrinam non damnat, vt hæreticam; sed solum, vt falsam, temerariam, scandalosam: ergò hæc definitio non est definitio fidei, aut de doctrina, aut dogmate fidei; sed de re certa, in gradu aliquo inferiori, à Pontifice definito. Aliàs enim doctrina contraria omninò fuisset, vt hæretica condemnanda.

¶ Probatur sextò, quia vt iam sæpius supra diximus, sanctorum canonizationes, sunt quedam definitiones, & pronuntiabantur olim per expressa verba definiimus, decernimus, &c. vt patet ex Bullis canonizationum sanctæ Brigittæ, & aliorum, & refert Eusebius Nierembergius tractat. de formulis canoniz. Arriag. de fide, disp. 9. sect. 5. num. 27. Diana p. 11. tractat. 2. de infallib. decret. Romanorum Pontificum extra Concilium. resolut. 15. Et tamen plurimi Doctorū, atque Theologorū, quos citat Castropalao part. 1. tract. 4. disp. 1. p. 5. §. 4. num. 1. sentiunt illas non esse de fide, seu articulum, fide Divinà certum; tametsi sint veritates infallibiles, & certæ, eo, quod Pontifex in Sanctorum canonizatione errare non possit, vt rectè docet D. Thomàs, S. Antoninus, Canus, Belarminus, Azor, Valencia, Turrecremata, Ioann. de No-

oli, Soarez, *Agidius Luſitanus*, lib. 3. q. 6. art. 1. §. 9. num. 63. & apud hos alij complures, imò ferè omnes noſtri temporis Theologi, quorum alij qui oppoſitum dicūt eſſe erroneum, alij temerarium, alij ſapere hæreſim, alij eſſe impium, & probabiliter hæreticum. Sed de hoc plura infra, part. 2. §. 8. Dantur ergo definitiones, etiam formales, & verbales expreſſæ Summorum Pontificum, quæ tamen non ſint de re fidei, ſeu fide Divinà certà.

¶ *Probatuſ ſeptimò*, quia non deſunt Theologi inter quos eſt *Canus*, ſupra citatus, qui doctrinam, in ſeſſionibus, & Capitulis Conciliorum ſtatutam, declaratam, deciſam, atque determinatã; aſſerunt, non eſſe dogmata fidei, ſeu certitudine fidei Divinæ certã, niſi eadem doctrina poſtmodũ relata ſit in Canones, ſeſſionibus regulariter annexos, cũ tamen eiufmodi doctrinã in ſeſſionibus deciſam, ac determinatam, communiter, & paſſim appellent *definitionem*.

¶ *Probatuſ oſtaudò*, quia plurimi Doctõrũ, inter quos eſt *Melchior Canus* lib. 5. de Concep. & lib. 12. cap. 6. in fine, & cap. 7. in titulo, & deinceps, *Bañez* in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2 §. ad 7. argumētum, & alij, dubitant, & acuratè inquireunt, quonam pacto, quibusq; notis dignoſci, ac ſciri queat,  
num

num aliqua *definitio*, ſit de re, aut articulo, fide Divinà certo, an non? *Quibus notis* (inquit *Canus* cap. 7.) *quæſtiones fidei dijudicari poſſint?* Et cap. 6. *Quid?* inquit, *nonne ſunt notæ aliqua, quibus quæſtiones fidei ſe iungi ab eis, quæ fidei non ſunt, internoſci poſſint?* Deinde has lib. 5. c. 6. per quatuor, & lib. 12. c. 7. per octo præceptiones, & regulas explicat, & c. 8. in varios gradus diſpertitur, omninò videndus. *Bañez* verò ſic habet. *Quæ nota erit*, inquit, *ad intelligendum, quænam ſit Concilij definitio circa dogma fidei?* Quibus verbis aperte, ſignificant, & ſupponunt, eſſe, ac dari aliquas definitiones Pontificum, & Conciliorum, quæ tamen non ſint dogmaticæ, ſeu de re, & articulo fide Divinæ credendo atque certo, ſed de re aliqua, vel tanquam probabiliori, aut alio aliquo certitudinis genere, & gradu certa.

¶ *Probatuſ denique nonò aſſertio noſtra* ex eo, quod in proſitionibus damnabilibus ab Eccleſia, & Theologis, damnatis, aut damnari ſolitis, reperiantur, & aſſignentur varij cenſurarum gradus. Sic enim alia damnatur, vt hæretica, alia tanquam erronea; alia tanquam ſapiens hæreſim, alia vt malè ſonans, alia vt ſcandalofa, alia vt piarum aurium offenſiva, ſeditioſa, iniurioſa, blaſphema, &c. vt videre eſt in Concil. *Conſtantiensi*, ſeſſ. 8. in  
ſen-



*Examini Theologici.*

sententia contra articulos Vviclephi. Et sess.  
15. in sententia damnationis Ioannis Hus. Nec-  
non in Bulla Pij V. & Gregor. XIII. cōtra pro-  
positiones Michaelis Baij. Atqui hæc varietas  
graduum, censurarum, & damnationis propo-  
sitionum damnabilium nō aliudē desumitur,  
nisi ex varietate, ac diversitate oppositionis,  
quā eiusmodi propositiones damnabiles, aut  
damnatae habent cum doctrina fidei, in varijs  
certitudinis, ac infallibilitatis gradibus, per  
varias diversi generis, & gradus definitiones,  
aut determinationes ab Ecclesia factas, vti vi-  
dere est apud Theologos relatos a Suarez tom.  
*de fide, disp. 19. sect. 2. num. 1.* Ergo non omnis  
definitio, aut determinatio ab Ecclesia, aut Sū-  
mis Pontificibus facta, est definitio, aut deter-  
minatio dogmatica, seu fidei, sed subinde, &  
quidem frequentius aliquo alio certitudinis  
genere, aut gradu certa: pro cuius rei clariori  
doctrina.

¶ Notandum decimoquartō, ex Soares, Salazar,  
Granados, Cano, Bañez, Valentia, Aegidio Lusitano, &  
communi Theologorum sententia, varia illa,  
& hæctenus a nobis explicata comprobataq;  
definitionum, ac declarationem genera, & eo-  
rum quodlibet varios etiam habere gradus,  
maioris, vel minoris certitudinis, aut probabi-  
lita-

litatis (intellige quoad nos) ex verbis, & mente  
Ecclesiae, Conciliorum, aut Summorum Pon-  
tificum, desumptos, in quibus à Spiritu Sancto  
illustrati, moti, atque directi, varias ob cau-  
sas, & circūstantias, res & doctrinas, ad fidem,  
pietatem, bonos mores, Divinum Cultum, &  
bonam Ecclesiae gubernationem spectantes,  
iudicant, definiendo, aut declarando hoc, vel  
illo gradu collocandas.

¶ Nunc aliquas statuunt, tanquam fidei  
articulos. Nunc alias, tanquam alio quodam  
inferioris certitudinis, aut probabilitatis ge-  
nere, tenendas, cuius rei illa est ratio. Etenim,  
vt docet D. Gregor. Homil. 16. in Ezechielem: *Per  
incrementa temporum crescit scientia spiritualium Pa-  
trum, &c. Et quantò mundus ad extremitatem ducitur,  
tantum nobis aeternae scientiae aditus, largius aperitur,  
&c. Siue enim (vt idem sanctus ait Homil. 15. in  
eundem Proph:) in cognitione mediatoris Dei, &  
hominum Iesu Christi, seu in scientia Divini eloquij, seu  
in ipsa fide, quam de ipso accepimus, quibusdam gradibus  
ad altiora incrementa peruenimus. Quem quidem gra-  
dualem ascensum (verba sunt Doctiss. Aegidij  
Lusitan. lib. 3. q. 6. art. 1. §. 10. in fini) In his, quae ad  
fidem pertinent Ecclesia quotidie experitur: etenim plu-  
ra, quae olim Patribus fuerunt dubia, nunc iam sunt cer-  
ta: plura quae inter Doctores erant controuersa, & in-  
cer-*



certa, modo sunt de fide: quod in vno tempore solum erat probabile; probabilitate cuiusdam decentis pietatis, nunc iam est certum, certitudine pietatis, quae ad fidem spectat, ita ut oppositum iam sit improbabile. Denique, quod Ecclesia olim proponebat, ut certum, ita, ut oppositum toleraret, modo crescente illuminatione, ab eadem Ecclesia, iam proponitur in eodem gradu certitudinis fidei, ut oppositum prohibeat, sicuti de festo Natiuitatis, & de eius Assumptione supra diximus. Hæc ille, & præclare. Vnde sapienter concludit Granadus tract. de Concept. disp. 3. sect. 5. & cum eo Salazar, & alij) dicens: Institutioni alicui Pontificum (idem esto iudicium de definitionibus, & declarationibus) non tribuendam esse a nobis maiorem auctoritatem, seu firmitudinem, quam eam, quæ ab Ecclesia, aut Pontifice tribuitur, sicuti, nec minorem.

¶ Notandum decimoquinto varios hos definitionum, uti & rerum, per illas definitarum, gradus assignari posse, ac oportere (saltem quo ad nos) ex varietate graduum, maioris, vel minoris certitudinis, aut probabilitatis, de quibus egimus, §. superiori.

¶ Primus est fidei, seu de rebus, articulis, ac dogmatibus, certitudine Divinæ fidei certis, ac indubitatis, ita, ut oppositum sit, ac censetur hæreticum.

¶ Secundus, est rerum, ac veritatum fidei prin-

principijs, & veritatibus valde vicinarum, atque ita certarum, ut oppositum docere, & sentire, sit non quidem hæreticum, sed erroneum, & hæresi proximum. Et in hoc gradu docetur communiter à Theologis, esse definitum, & certum Beatissimam Virginem esse natam sanctam, præsentatam in Templo; assumptam in Cælum in corpore, & anima; Pontificem non posse errare, in præceptis morum; in rebus, ad pietatem, & Dei cultum spectantibus; in Canonizatione Sanctorum; festorum institutione; approbatione Religiosorum Ordinum, & rerum similium. De quo vide Scarez tomo de fide, disp. 3. sect. 8. a num. 7. Aegidium Lusitanum lib. 2. q. 6. art. 1. §. 9. & alios penè innumeros apud ipsum, & infra p. 2. §. 8.

¶ Tertius gradus definitionum, & rerum definitarum, est earum, quæ (saltem, quo ad nos) nec sunt de fide, nec fidei principijs adeò immediatè vicinæ, aut affines, uti sunt, gradus prioris; attamen (ut ait Canus lib. 5. de loc. Theolog. cap. 5. & lib. 12. cap. 6. ad finem, idest §. Fidei porro, & Aegidius Lusitanus loco citato, §. 10. num. 88. & sequenti, & alij) quæstionibus, & principijs fidei valde Consentaneæ, atque tanquam fidei appendices, necnon ad doctrinæ fidei integritatem, & sanitatem spectantes, & conducentes, in quo gradu plerique Theologorum hoc tempore,

P

præ-

præſertim Ægidius citatus, collocat ſententiam  
piam, cui nos quoq; adharere infra oſtendemus.

¶ Quartus gradus definitionum, rerumque  
definitionibus ſubſtantium ad eas ſpectat, quæ  
(quo ad nos) proponuntur (ſaltem indirectè)  
ita certè, vt phſicè loquendo à parte rei non  
poſſint eſſe falſæ. In quo gradu plurimi repo-  
nunt ſententiam piam, cum Salazar loco ſæpius citato,  
& infra p. 2. §. 7.

¶ Quintus gradus eſt, rerum definitarum,  
tanquam moraliter certarum, cuius multa  
paſſim reperies exempla. Granadus, & alij com-  
plures in hoc gradu ſtatuunt ſententiam piam.

¶ Sextus gradus definitionum eſt, quæ res  
aliqua definitur, vt magis probabilis, magis  
pia, magisque tuta. Qualis fuit illa, Concilij  
Vienneniſis de habitibus ſupernaturalibus, par-  
vulis in Baptiſmate infuſis. Quod poſtea per  
Concilium Tridentinum fuit, tanquam arti-  
culus fidei definitum.

¶ Septimus gradus, definitionum eſſe poteſt,  
quibus definiatur aliqua res, eſſe ſolum proba-  
bilis, vide Soarez tom. de fide, diſp. 5. ſect. 6. num. 8.  
& alibi.

¶ Pro confirmatione eorum, quæ hoc, &  
præcedenti notabili diximus, hic adſcribenda  
duximus verba, & doctrinã Magni illius Tho-  
miſtæ

miſtæ Magiſtri Melchioris Cani, qui citato libro 5. c.  
5. §. illud item damus, ſic ait: Sed animaduertendum eſt  
diligentius, & quæ natura rerũ ſit, de quibus iudiciũ eſt,  
& quæ verborum proprietates, & pondus, nimirum enim  
Eccleſiſtica doctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, nõ  
idem eſt gradus, nec omnium iudiciorum decreta eodem lo-  
co habenda ſunt. De qua re, quoniam in duodecimo libro  
ſumus longe lateque diſputaturi, nunc dicere non eſt ope-  
ra pretium. Id dicimus, non omnia, quæ, aut iuris, aut Cõ-  
ciliorum volumina continent, doctrinæ Chriſtiane eſſe  
iudicia, nec omnia ruſſum doctrinæ iudicia, fidei cenſu-  
ras eſſe. Multa ſiquidem ad Sanam Eccleſiæ diſciplinam  
attinent, quæ fidei decreta non ſunt. Hæc ille ibi. Et  
his ſimilia infra cit. lib. 12. cap. 6. in fine, quibus  
mox adiicit varias præceptiones, & regulas,  
ex quibus colligi poſſit, ac debeat, num aliqua  
definitio (quam ille vocat Eccleſiæ iudicium) ſit, de  
re fidei, ſeu dogma, aut fidei articulus, necne.  
Quem videre poterit, qui voluerit. Nobis hoc  
loco ſufficit, ab hoc quoque Authore agnoſci,  
& probari, quod nos cum communi Theolo-  
gorum aſſerimus, nempe, non omnem Eccle-  
ſiæ, Conciliorum, & Pontificum definitionem eſ-  
ſe dogmaticam, ſeu de articulis, fide Divinã  
certis, ſed dari definitiones veras, etiam forma-  
les, verbales, & reales, inferiorum, & variorũ  
graduum, certitudinis, aut probabilitatis ma-



ioris, vel minoris, ex varia determinatione Ecclesie, aut Pontificum ortis, & nobis propositis, adedque, quo ad nos, magis, vel minus certis.

¶ Notandum decimosexto ad hoc, ut Pontifex ad aliquam definitionem condendam procedat, quã rem, quampiam, ab Ecclesia definibilem, aut tanquam probabilem, aut moraliter, physice, metaphysice, Catholicè, aut denique fide divinã certam, & infallibilem statuatur; non requiri, ut ad id faciendum habeat rationes, ac motiva ex Sacra pagina omninò certa, & infallibilia; sed sufficere, ut hæc sint eiusmodi, quã rem definiendam ostendant, saltem probabiliorem, magisque piã ac tutam, aut ad summum moraliter certam. Ita docent *Valentia* 2. 2. dist. 1. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. *Canus* lib. 7. de locis Theol. Thom. Baldensis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 20 & 23. *Salazar* cap. 43. §. 4. ubi citat *Turrianum Magistrum suum*. Denique est communis omnium Theologorum huius temporis, qui asserunt Mysterium Immaculatæ Conceptionis esse proximè definibile, contra *Gravinam Harpalegum*, & quosdam alios, quos nervosè impugnant, imò & expugnant Authores citati. Et breviter ratio est, quia, si ad definitionem Pontificiam, tanquam dispositio praviã

neceſs

necessariò requireretur certitudo, & infallibilitas rei definiendæ, Pontifex vix vnquam ad aliquam definitionem procedere potuisset, ac posset. Reperiuntur autem complura, quæ de facto sunt ab Ecclesia definita, quorum tamen definitio non nisi ex motivis probabilioribus, aut moraliter evidentibus processit. Ergò. ¶ Neq; tamen hinc inferas, definitionem Pontificiam esse obnoxiam formidini, deceptioni, errori, ac periculo falsitatis, hoc enim nõ sequitur. Quia certitudo, & infallibilitas Põtificiæ definitionis, ex motivis illis prævijs, non oritur formaliter, & immediatè, sed solum dispositivè, remotè, & impulsivè (ad eum ferè modum, quo motiva, & iudicia credibilitatis ad ipsum divinæ fidei actum non concurrunt formaliter, & immediatè, sed solum dispositivè, remotè, impulsivè, atque ad credendum prudenter) sed provenit ex stipulata, atq; promissa Spiritus Sancti assistentia, veluti efficienter; formaliter autem, & immediatè ex Dei revelatione, explicita, vel implicita, quæ iam olim facta supponitur, & Pontifici definienti à sibi assistente, attestante, ac per ipsum loquente Spiritu Sancto, tum manifestatur, quem admodum eleganter id explicat Sapiientissimus *Suarez*, tomo 2. in 3. part. disput. 3. lect. 6.



Examiniſ Theologici.

¶ Cuius eximij Doctoris verba præclara libuit hic apponere, vtpotè quibus doctrina hæc mirificè illustratur ſtabiliturque.

¶ Poſtquam enim dixiſſet, controverſiã myſterij Immaculatæ Conceptionis omninò eſſe definibilem, nec tamen poſſe terminari hanc litem, definiendo opinionem contrariam cum ipſa (vt ille ait) falſa ſit, ad eòque hinc ſequi hanc noſtram ſententiam poſſe definiri; mox in hunc modum ſubtiliter diſcurrit, dum ait: Hoc ita declaratur, quia hæc veritas eſt ſupernaturalis, multum referens, ad Eccleſiæ vtilitatem, & pietatem, & peruenire res poceſt ad eum ſtatum, in quo abſq; noua, & explicita reuelatione habeat Eccleſia ſufficientia motiua, ad veritatem hanc definiendã, ex implicita, & tacita Dei reuelatione ſibi ſufficienter propoſita, ergo. An recedens declaratur, quia ſepè Eccleſia, ſua authoritate, aſſiſtente ſibi Spiritu Sancto, ſimiles controverſias definiuit, abſq; noua reuelatione expreſſa, vt poteſt manifeſtis exemplis oſtendi, in quaſtione de habitibus infuſis, de Canonica authoritate aliquorum librorum Sacra Scripturæ, de carentia omnis peccati venialis in ipſamet Virgine. Addi etiam poteſt exemplum de Reſurrectione eius, de glorioſa Aſſumptione, & de ſãctitate Natiuitatis eius, ex his enim aliqua iam ſunt de fide, alia verò ſunt fidei proxima, & nullus dubitat, quin tandem poſſint definiri. Ad hanc definitionem ſatis eſt, vt aliqua ſupernaturalis

veritas, traditione, vel ſcriptura implicitè contenta ſit, vt crescente communi conſenſu Eccleſiæ, per quam ſepè Spiritus Sanctus traditiones explicat, vel Scripturam declarat, tandè poſſit Eccleſia definitionem ſuam adhibere, quæ vim habet cuiuſdam reuelationis, reſpectu noſtri, propter infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiã.

¶ Et mox. Quod autem (inquit) hæc veritas huius ordinis ſit, facile hoc modo declaratur. Quia ſepè in Scriptura indicata eſt, vt vidimus: deinde ab antiquiſſimis Patribus, & (vt creditur etiam ab Apoſtolis eſt tradita. Ad hæc vniuerſali Eccleſiæ conſenſione paulatim recipitur, non ſine magno animarum fruicũ, nec ſine motione (vt creditur) Spiritus Sancti, qui plenitudinẽ gratiæ Virginiſ ita eſſe intelligendam ſenſim Eccleſiam docet. Poteſt igitur hic Eccleſiæ conſenſus ita crescere, vt tandem poſſit Eccleſia abſolutè, & ſimpliciter (hoc eſt de fide) rem definire, neque contraria ſententia habet probabile fundamentum. Hæc omnia Soarez tunc, quid diceret hodie, viſa Bulla Sãctiſſimi Domini noſtri Alexandri VII.

¶ Notandum vltimò, totum id, quod de definitione diximus, extendi debere; ac dici, æquè, de declaratione, quæ pari cum illa paſſu decurrit. Et hanc ob rem, ſicut illam in ſuas ſpecies diuiſimus, ita quoque hanc in eaſdem partimur, & reales, formales, & verbales aliasque declarationes admittimus, ſuis iterum certi-



dinis gradibus ſubdiſtinctis, modo, quo de definitione locuti ſumus. Quod volumus lectorem curſim animadvertere, quo ſine offenſione reliqua pariter decurrat.

## §. VIII.

*Reſoluuntur nonnulla ex dictis §. precedenti.*

**R** Eſtat, vt quæ §. ſuperiori de varijs definitionum, & declarationum acceptio- nibus, generibus, & gradibus in medium adduximus, atque expoſuimus, nunc tandem noſtro Breui Apoſtolico, & myſterio Immaculatae Conceptionis in eodem mriificè declara- to applicemus. Atque ita viam planam ad exam- en propoſitum nobis aperiamus, pro quo.

¶ *Notandum* eſt, hoc loco, ſermonem eſſe, ac inſtitui poſſe, vel *primò* de cultu, feſto, & celebritate, ab Eccleſia Romana, myſterio Immacu- latae Conceptionis inſtituta, & exhibita. Vel *ſecundò*, de obiecto dicti cultus, & celebritatis, id eſt de ipſa gratia originali, Beatiffimam Vir- ginem in primo ſue animationis inſtanti, a fæ- da illa originalis peccati labe præſervante. Vel *tertio* de ipſamet *pia ſententia*, hanc Virgi- nis gratiam conſtanter aſſerente, & propug-  
nan-

nante. Vel *quartò*, de obiecto huius piæ ſententiæ; quod quidem idem eſt proſus cum obiecto cultus, & celebritatis Eccleſiæ, hæc enim, vt teſtatur Pontifex, & eius Prædeceſſores, idem colit, & colendum ſuadet, ac præcipit, quod ſententia *pia* ſemper aſſeruit, atque defendit. *Secundum piæ ſententiam* (inquit.) Vel denique *quintò* de alijs quibuſdam rebus, & partibus, de quibus loquitur, teſtatur, diſponit, & de- clarat Pontifex in hac Bulla. His ita præmiſ- ſis.

¶ *Dicendum primò*, noviffimam hanc SS. Domini noſtri Alexandri VII. conſtitutionem, nec eſſe, nec continere *definitionem formalem ſpecialem*, & propriè ſumptam. Probatum id manifeſtè, quia definitio formalis ſpecialis, & propria eſt illa, quæ expreſſiffimis hiſ verbis: *Definimus, de- cidimus, &c.* effertur, ac pronuntiatur, vt §. ſu- periori notabili 3. notavimus, atqui in tota hac Bulla Pontificia, hæ voces, à Pontifice pro- nuntiatae non reperiuntur, vti patet, illam le- genti, ergò illa nec eſt, nec continet definitio- nem formalem ſpecialem. An verò dici poſ- ſit eſſe, aut continere definitionem formalem generaliter acceptam, nempe provt hæc op- ponitur definitioni obiectivæ, ex infra dicè diſ- hoc ipſo §. conſtabit.



Examini Theologici.

¶ Dicendum secundò, Pontificiam hanc Bullam, & Constitutionem, nec esse, nec continere definitionem ullius generis, aut gradus, ex superiori §. recensitis, & explicatis (idest neq; formalem, neq; virtuales, neq; mentales, neq; verbales, denique, nec tacitam, seu realem) *fidei divinæ*; seu talem, quæ vel *cultus*, vel *sententia pia*, vel *obiectum* utriusque, nempe gratia originalis, aut aliud quidpiam ad illa spectans, definiatur, tanquam dogma, aut articulus fidei, & fidei divinæ certitudine credendum.

¶ Hanc assertionem evincunt, & probant septem illa argumenta, quæ superiori §. propè initium adduximus, & militare diximus adversus illos, qui evulgatis libellis simpliciter, & absolute pronuntiarunt, & asseruerunt, *cultum*, ab Ecclesia, mysterio Immaculatae Conceptionis delatum, esse per hanc Bullam definitum directe, sententiam verò *piam*, & *obiectum* utriusque, idest gratiam præservantem, esse definitum indirectè. Supponendo illos, hoc suo indistincto loquendi modo esse locutos de definitione *fidei*, & rebus illis, tanquam fidei articulis, & omninò, actu divinæ fidei certis, atque credendis.

¶ Nam si hoc suppositum ipsi negaverint,

rint, seq; non de hoc supremo definitionis genere (nempe fidei divinæ) sed de aliquo alio inferioris rationis, §. antecedente, *notabili* 1. §. à nobis exposito, fuisse locutus, ac intelligi debere dixerint (quo sensu plurimi Theologorum illorum pronuntiatum, & propositionem interpretari dicuntur) oculo sane benigniore, atque clementiore digni videbuntur. Præsertim cum hæc vox *Definitio* plura, ac varia habeat, admittatque significata, ut patet ex §. superiore, *notabili* 1. & sequentibus. Quam proinde (ut scite monet *Canus lib. 5. de locis, c. 5. Soarez de fide, disp. 19. sect. 2. num. 21. & alij passim*) præsertim cum de césuris agitur, expedit, imò, & oportet in meliorem trahere sensum, & partem interpretari benigniorem. Porro septem illa argumenta, hoc loco in memoriam erunt revocanda, deinceps a nobis, ad alia properantibus, non repetenda.

¶ Dicendum tertio, hanc Bullam Pontificiã non esse, neque continere *declarationem formalem specialem*, & *explicitam*, seu expressam alicuius rei, ex quinque supra principio huius §. propositis. Constat hoc apertè ex dictis prima conclusione. Quia nempe hic terminus *declaramus*, in tota Bulla non reperitur positus, quod tamen requiritur ad *declarationem formalem, specialem*,

tem, *exprefſam*, vt dictum eſt.

¶ Dicendum *quartò*, hanc conſtitutionem Pontificiam, non eſſe *declarationem*, ſivè formalem, ſivè virtualem, mentalem, verbalem, aut realem, ſeu tacitam, *fidei*, alicuius rei ex quinque propoſitis, ſeu, quà *declaretur* aliquid, circà illa, tâquam articulus *fidei*, & certitudine *fidei diuinæ* credendum. Hanc aſſertionem videntur ſimiliter evincere, ac probare *ſeptem* illa argumèta, §. 7. initio allata, quibus pari paſſu, quo oſtenditur nihil eſſe de *fide definitum*, oſtendi quoque videtur, nihil etiam de *fide* declaratū in illa. Quod ſi quis aliquam huius generis *declarationem* ex illa ſolidè probaverit, demòſtraveritque, rem præſtiterit amatoribus *Virginæ*, ac omnimodæ puritatis vnde quaque gratiſſimam.

¶ Dicendum *quintò*, Bullam hanc ſuæ *Sanctitatis*, eſſe præclaram, & ſcholasticam quandam *declarationem*, ſaltem realem, & tacitam, ſeu *operis*, & *facti*, non ſolū *cultus*, *ſententiæ piæ*, & *obiecti utriuſque*, verum etiam *rerum aliarum complurium*, ad veram mentis Pontificiæ, & myſterij *Immaculatæ Conceptionis* intelligentiam ſpectantium, atque conducentium, tanquam *rerum*, nondum de *fide*, ſed certitudine aliqua *inferioris generis*, & *gradus infallibilium*, atque cer-

ta-

tārum, ac (vt tales ſunt) aliquo modo *deklaratarum*.

¶ Hæc conſuſio probata iam manet, tū *primò*, ex dictis ſupra §. 3. & 4. Tū *ſecundò*, colligitur ex §. 7. *notabili* 7. & 8. Præterea *tertiò*, conſtabit à fortiori, ex conſuſione ſequenti, & deinceps toto hoc §. differendis.

¶ Dicendum *ſextò*, Pontificiam hanc conſtitutionem, eſſe, & continere *declarationem* quandam formalem verbalem (non quidem *exprefſam*, ſeu *explicitam*, ſed *virtualem implicitam*, verbis videlicet æquivalentibus, & (*declarationi* verbali formali) æquipollentibus, *exhibitam*, traditamque de *cultu*, *ſententiæ piæ*, *obiecti utriuſque* & *alijs rebus* (quas ſupra §. 3. & 4. iam attigimus, & infra p. 5. §. 1. apertius enumerabimus) nō quidem vt *fidei* articulis, ſed vt *inferiori* aliquo certitudinis genere, aut gradu, aut certis, aut magis probabilibus, *deklaratis*.

¶ Probatur *primò*, ex dictis §. 3. & 4. Probatur *ſecundò*, ex dictis, §. *ſuperiori notabili* 7. vbi hoc genus *declarationis* expoſuimus, & probavimus conſpicuis quatuor exemplis, ex *Evangelio* S. Ioannis de *pròptis*. Vbi S. *Apoſtolus* *obſcura* quædam *Chriſti Domini* verba pulcherrimè exponit, atque *deklarat*, nec tamen vtitur verbo *Declaro*, ſed alijs, huic voci æquipollen-

tū-



Examini Theologici.

tibus, quo lectorem remittimus.

¶ Probat<sup>ur</sup> tertio, ratione, veluti à priori. Quia verba, vel nomina, huic vocabulo *declaro*, seu *declaramus* æquipollentia, sunt illa, quibus aut mentem nostram, aut aliud quidpiam attestamur, exponimus, aperimus, significamus, exprimimus, & alijs notum facimus. ¶ Cumq; huiusmodi complura reperiuntur in hac constitutione Põtificia (vt sunt v. g. illa: *Dolemus; vrimur; & sanè vetus; creuit horum numerus; Aucta rursus, & propagata fuit, &c. Et quia ex occasione contrariæ assertionis, &c. Nihilominus prout venerabiles, &c. Nos considerantes quod S. Romana Ecclesia, &c. Celebrat, &c. Volentesque laudabili huic pietati, &c. Post illius institutionem nunquam immutato, &c. Fauere necnon tueri, &c. Cupientesque in Christi grege, &c. conseruare. ad præfatorum instantiã, ac preces. Innouamus, &c. Obseruari mandamus, &c. Censuris subiicere volumus, & subiicimus, &c. Priuatos volumus, &c. Innouantes Pauli, &c. Pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus, &c. Cũ hoc à Romana Ecclesia, &c. Nos nunc minimè decidere volumus, &c. pænis subiicimus, &c. Volentes quod contra, &c. districtè præcipimus, &c. mandamus, &c. specialiter, & expressè derogamus, &c. præcipimus, & mandamus, omnibus, & singulis, &c. volumus similiter. Aliaque id genus cõplura, quibus (licet absq;*

voce hæc, *declaramus*) Pontifex, tũm mētem suã, tũm prædecessorum suorum, tũm per antiquã fidelium pietatem, tũm cultum, & sententiã, tũm obiectum vtriusque, & alia eiusmodi, nobis dilucidè exponit, declarat, ac manifestat. Ergò hæc Pontificis constitutio, est quædam formalis, verbalis (saltem æquivalens, & implicita) rerum dictarum *declaratio*.

¶ Probat<sup>ur</sup> quarto, nam quæro ex Adversarijs, & Authoribus Anonymis; an Pontifex in hac Bulla aliquid verbaliter declaret per illa verba, quibus asserit, & ait: *Vetamus autem, &c. quempiam asserere contrariam opinionem tenentes crimen hæresis, aut peccatum mortale incurrere. Aut secundò illis alijs verbis: Cũ à Romana Ecclesia, &c. nondum fuerit hoc decisum. Vel tertio illis: Prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus. Aut illis, quibus mox addit: Quin potius contrariam opinionem, &c. damnare audentes, pænis subiicimus. Aut quinto illis verbis: Volentes quod contra transgressores, &c. procedant, & inquirent, &c. Vel deniq; illis alijs, quibus, ait, a suis Prædecessoribus vetitũ esse contrariam opinionem publicè doceri, aut prædicari, & hanc prohibitionem a Gregorio XV. extensam fuisse, etiam ad priuata colloquia, nondum tamen (vt ipsi gloriantur) ad secretiora mētis cubicula, & sensum internum.*

¶ Quæro inquam, an Adverſarij, & Anonymi iſti agnoſcant, fateantur & aſſerant, hiſcè, & ſimilibus Pontificiæ conſtitutionis verbis, & loquendi modis, aliquid, in ſui favorem eſſe declaratum, an verò ſecus? ſi dicant quod non. Contra eſt primò, quia planè falſum aſſerunt, ut ex iam dictis palam eſt. Contra eſt ſecundò, quia ſibi contradicunt, ut mox oſtendam. Tertio, ſi in hiſ verbis nihil declaratur, in ſuam, ideſt contrariæ ſententiæ favorem, planè, de illa actū eſſe, videbitur. Tolle ex Bulla *ly vetamus*, & quæ ſequuntur, aut eunice, nihil dici, aut declarari, per *ly vetamus*, & quæ illicò ſubnexa leguntur, & apertè diſces, opinionem contrariam, & telis, vetitarum expoſitam cenſurarum, & de illa penitùs eſſe conclamatum. Quartò, quo pacto paſſim (ut fertur) ſe iactant, & glorientur hanc Bullam ſibi, ſuæque opinioni potius favere, quam ſententiæ pię? Denique quintò, quia ipſi Anonymi in prima illa ſua proſitione apertè fatentur, & dicunt, hanc Bullam eſſe declarationem quandam. Sic enim aiunt, *Porque aſi lo dice, y declara el Papa en la Bula por eſtas palabras: SECVNDVM P I A M SENTENTIAM.* Quod ſi hæc verba, abſque verbo expreſſo *Declaramus*, ſunt quædam Pontificia *declaratio*, cur non, & reliqua, & quidem apertiora!

ra! Negare ergo non poſſunt, hanc Bullam, eſſe *declarationem* verbalem, ſaltem implicitam, & æquivalentem. Porrò ſi hoc fatentur, iam noſtrum habemus intentum, & probata manet ſexta hæc noſtra aſſertio. Et quidem à pari, aut etiam à fortiori. Nec ſanè apparet villa hac in re diſparitatis ratio, niſi fortè, quod hæc adverſarijs videantur nō nihil favere, illa verò alia adverſari; hoc autem dicere quàm ſit frivolum nemò non videt.

¶ *Probatuſ ſextò*, quia niſi dicatur hæc Bullam Pontificiam eſſe, & continere aliquam *declarationem* verbalem, ſaltem æquivalentem, & implicitam, dicendum erit, illam planè eſſe otioſam, ac inutilem, quod abſque gravi Pōtificis iniuria dici nequit. Præterquamquod aliundè liquet eſſe falſum.

¶ *Probatuſ ſeptimò*, quia niſi admittatur, eſſe *declarationem* verbalem, ſaltem implicitam, & æquivalentem, rerum aliquarum; planè Pontifex ſibi contradiceret, quia ex vna parte, re ipſà plurima declarat, uti apertè conſtat; ex altera verò nihil declarat, ut falſò ſupponitur. Manet igitur probatum hanc Bullam, & Conſtitutionem Pontificiã, eſſe præclaram quandam *declarationem* verbalem, ſaltem æquivalentem, & implicitam, atque declaratio-

tioni formali, & explicitæ æquivalentem.  
 ¶ Probatur octauò, quia realiter loquendo non minùs declarat, ac definit, *hominem eſſe animal rationale* is, qui directè (& vt Scholæ loquuntur) exercite, ſeu in actu exercito affirmet, & ſimpliciter dicat: *homo eſt animal rationale*, ac is, qui reflexe, & in actu ſignato dicat: *Declaro, ac definio, hominem eſſe animal rationale*. Ergò ſimiliter dicendum eſt, Pontificem in hac ſua Conſtitutione Apoſtolica, realiter loquendo non minùs declaraffe ea, quæ per verba ſuperiùs recensita directè, & in actu exercito teſtatur, aſſerit, atque declarat, quàm ſi verbis illis præfixiſſet hæc alia; *definio*, vel *declaro*, atque adeò reflexè, & in actu ſignato declaraffet, ac definiſſet ea, quæ declarauit definiuitque. Quis porrò inficias ire audebit, illa verba Bullæ, a nobis allegata, non eſſe declaratoria illarum rerum, ſaltem directè, & in actu exercito? Undè concludimus hanc Conſtitutionem Pontificiam eſſe præclaram quandam multarum rerum declarationem verbalem, ſaltem (vt diximus) implicitam, æquivalentem, directam, & in actu exercito traditam, ac pronuntiatam.

¶ Hactenus, cuiuſnam generis, naturæ, ac qualitatis ſit, hæc Pontificia declaratio, ſeu declaratoria Conſtitutio expoſuimus. Reſtat vt, quoniam

in gradu probabilitatis, aut certitudinis, tam cultus, quàm ſententia pia, & obiectum vtriuſque, per ipſam conſtituatur colloceturque ſimiliter determinemus.

¶ Dicendum igitur ſeptimò, per hanc Bullam Pontificiam, & ipſum factum Eccleſiæ, in illa affirmatum, declaratione, tam verbali implicita, & æquivalenti, quàm operis, & facti, ſeu tacitæ, declaratum eſſe, *ſententiam piam* (vti & obiectum ipſius) eſſe longè verioſam, probabiliorem, magis piam, magisque tutam atque ſecuram, quàm opinionem illi contrariam, nempe quæ Virgini peccatum originale impingit.

¶ Hæc aſſertio, hoc tempore, eſt omninò, *pie ſententiæ patronorum*, qui omnes vnanimiter, *ex inſtitutione, & celebratione feſti Immaculatæ Conceptionis, Officio Divino, indulgentiarum elargitione, aliſque favoribus & gratijs*, quibus Summi Pontifices piæ ſententiæ fauerunt ſemper, & quotidie ampliùs favere pergunt, colligunt & inferunt, negari non poſſe *ſententiam piam*, ipſo opere & facto, ſeu *declaratione quadam tacitæ*, eſſe declaratam, tamquam longè verioſam tutioſam, atque magis piam. Videatur *Ægid. Luſitan. lib. 3. q. 6. art. 1. §. 7. per tot.* vbi id conceptiſſimis verbis docet, & efficaciter probat, ac tandem addit, hæc



affertionem, ſeu *propoſitionem* (verba ſunt *Ægidij*.) *Post Conſtitutionem Sixti IV. & approbationem Concilij Tridentini, Alexandri VI. & Pij V. non poſſe abſque ingenti temeritate negari. Quid diceret viſa admirabili hęc, SS. D. N. Alexandri VII. conſtitutione?*

¶ Idipſum ex profeſſo probat *P. Ferdin. Salazar* *arius tom. de Immacul. Concept. cap. 43. ferè per totum, præfertim §. 1. & 4. vbi ſic ait: Nam vt ſupra demonſtrauimus, per inſtitutionem feſti, officij approbationem, largitiones indulgentiarum, & alia eiufmodi, quæ Summi Pontifices in fauorem illius geſſerunt, ipſam magis piam, magiſque tutam decreuerunt, atque definiuerunt. Idque probat §. 1. hęc ratione, quia Summi Pontifices Conceptionis Immaculatæ venerationem, & cultum toti Eccleſiæ, aut ſuaſerunt, aut demandarunt; ſed quod eo modo venerandum, colendumque populis exhibent, veluti magis piam, magis probabile, magis tutum proponunt: ergo eo ipſo magis probabile, magis tutum, magiſque piam declarant, ac definiunt. Sic ille: Quem ſi libuerit, adeat pius lector, nã de hoc iterum, & ex profeſſo infra part. 2. §. 7. & ſeq. acturi ſumus.*

¶ Dicendum octauò, per hanc conſtitutionem Pontificiam, verbaliter implicite declarari ſententiam piam (& conſequenter illius obiectam nempe gratiam originalem Beatiffimæ Virginis, in

in primo ſuæ creationis inſtanti collatam) eſſe moraliter euidentem, ac certam. Ratio eſt, quia Pontifex in hac Bulla inter alia teſtatur, affirmat, & declarat, ſententiam piam ſeu pium hunc Chriſti fidelium ſenſum, non ſolum eſſe *per vetuſtum*. Ibi: *Et ſanè vetus, verum etiam omnium ferè Catholicorum, ibi: Iam ferè omnes Catholici eam complectuntur. Imò & eſſe ipſius Eccleſiæ Romanæ. Atqui antiquus hic, & communis ferè omnium fidelium Catholicorum, & Eccleſiarum ſenſus efficit, vt is ſit. ac cenſeatur moraliter euidentis, accertus, vti fatentur omnes, & infra patebit, part. 2. §. 6. Ergo dum Pontifex in hac ſua Bulla teſtatur, & affirmat, ſententiam piam, ſeu pium Chriſti fidelium ſenſum, eſſe ferè omnium Catholicorum, & per antiquum, declarat ſententiam piam, eiufque obiectum (ideſt gratiam originalem Beatiffimæ Virginis) eſſe moraliter, euidentem, ac certam.*

¶ Dicendum nono, hęc Bulla Pontificiã, & ipſo factò Eccleſiæ, realiter, ac tacite declarari ſententiam piam, & obiectum eiufdem, nempe gratiam Beatiffimæ Virginis præſervativam, a parte rei eſſe inſallibilem, ac certam, ita, vt phyſicè loquendo, ſeu de potentia Dei ordinaria, illi falſitas repugnet. Cum enim Eccleſia, aut Pontifex, in inſtitutione, aut celebratione alicuius feſti,

feſti, errare nullatenus poſſit, vt ſupra notavi-  
mus, & infra *part. 2. §. 8.* amplius oſtendemus,  
ſequitur gratiam, aut ſanctitatem originalem  
B. V. quàm celebrat, colit, colendāque Eccle-  
ſiæ proponit; & ſententia pia aſſerit, atque de-  
fendit à parte rei falſam eſſe non poſſe. Sed de  
hoc plura in *fra part. 2. §. 7.*

¶ Dicendum decimò, tam per hanc Pontifi-  
cis Conſtitutionem *verbaliter, & implicite,* quàm  
per ipſum Eccleſiæ *factum, realiter, ac tacite,* de-  
clarari, *ſententiam piam* (& conſequenter illius  
*obiectum*) nempe gratiam originalem, eſſe *ſim-  
pliciter, & abſolute,* ſeu Theologo *metaphyſicè certā,*  
& infallibilē. Hoc enim (præter alia cōplura)  
euincunt illa Pontificis verba, quibus ait: *Nos  
conſiderantes, quod S. Romana Eccleſia de intemerata  
ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemni-  
ter celebrat, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium  
olim ordinauit, &c.* Adeòque declarat, tum men-  
tem Eccleſiæ, tum celebrationem feſti ſolem-  
nem ab Eccleſia huic myſterio exhibitam. At  
qui (ut argumentatur S. Ildephonſus, S. Ber-  
nardus, & S. Thom. imò Bandellus, & ipſi Li-  
bellatores Romani) quod Eccleſia ſolemni,  
& publicò ritu celebrat, non poteſt *ſimpliciter,*  
& *abſolute* non eſſe ſanctum, cultu, ac veneratio-  
ne dignum. Ergo dum Eccleſiā gratiam origi-  
na-

nalem Beatiffimæ Virgini, in primò ſuæ crea-  
tionis inſtanti collatam celebrat, & hoc ipſum  
Pontifex in hac ſua Bulla teſtatur, atque de-  
clarat, ſequitur *ſententiam piam,* eiufque *obiectum*  
non ſolùm *verbaliter, & implicite,* ſed ipſo etiam  
*facto* Eccleſiæ, *realiter, ac tacite* declarari, tanquā  
*ſimpliciter, & abſolute,* ſeu Theologo *meta-  
phyſicè certum.* Sed de hoc ex profeſſo, infra  
*part. 2. §. 8.*

¶ Dicendum undecimò, per hanc Conſtitutionē  
Pontificiam, & per ipſum *factum* Eccleſiæ, &  
Pontificum, declarari tam *verbaliter implicite,*  
quàm *realiter, ac tacite, cultum, feſtum, ac celebra-  
tem,* ab Eccleſia ſub titulo Immaculatæ Con-  
ceptionis, ſeu præſeruationis inſtitutam, & ex-  
hibitam, eſſe certam ac infallibilem, certitu-  
dine, non *fidei,* ſed *Catholicæ,* id eſt *uniuerſalitatis,*  
iuxta dicta ſuperiùs §. 5. & 6. Hoc aſſertum,  
infra probabitur ex profeſſo, *part. 2. §. 9.* Hic  
breviter ſtabilitur hac ratione veluti à priori,  
quia illud dicitur, & eſt Catholicè certum, &  
infallibile, quod ab Eccleſia Romana inſtitu-  
tum, & ſolemniſ celebratum, ita ab omni-  
bus eſt celebrandum ac tenendum, vt non per-  
mittatur illius contrarium à quopiam doce-  
ri, aut etiam ſentiri, in foro interno, abſque no-  
ta erroris, & ingentis temeritatis in materia

fidei, vti probant communiter Authores de Nativitate, & Aſſumptione Beatiffimæ Virginiſ. Atqui ſic ſe res habet circa *cultum feſtum*, & *celebritatem Immaculatæ Conceptioniſ*, cuiuſ aſſer- tionem, & exhibitionem, nemo pius, aut verè doctos, abſque errore, & temeritate negare, aut in dubium vocare audeat, vt ſuo loco, p. 2. §. 9. & alibi oſtendetur, ergò dùm Pontifex hunc *cultum*, vt *publicum declarat*, & Eccleſia feſtū ſolemniter *celebrat*, tàm *verbaliter implicite*, quàm *realiter, ac tacite*, ipſo facto docet, atque *declarat*, eiuſmodi *cultum* eſſe Catholicè, & univèrſaliter certum. Sed de hoc pleniuſ infra, p. 2. §. 9. vt dixi.

¶ *Dicendum duodecimo*, eàdem ratione, & modo (ſaltem virtualiter implicite, & indirec- tè) declaratum eſſe ipſum *obiectum* dicti cul- tū; nempe illud eſſe, gratiam originale, & præſervativam Virginiſ. Ratio eſt ex ſupra- dictiſ, quia *obiectum cultū*, eſt relativum cul- tū, non poteſt autem declarari vnum relati- vorum, quin declaretur ſaltem virtualiter, & implicite, etiam alterum ergò, dùm declara- tur eſſe Catholicè certuſ ipſe cultuſ, declara- tu. etiam, tanquàm Catholicè certuſ, quod, & quale nam ſit ipſiuſ cultuſ *obiectum*, ſal- tem indirectè, & virtualiter, vt diximus.

¶ Dices, ſi *obiectum cultū* (ab Eccleſia, myſte rio Virginiſ à labe præſervatæ) decretuſ, & exhibituſ, nempe gratia originaliſ, illam præ- ſervans, iam virtualiter, & indirectè eſt decla- rata tanquàm Catholicè certà, ergò etiam *obi- ectum ſententiæ piæ* (quod eſt idem, cum *obi- ecto cultū*, ſeu eſt eademmet gratia originaliſ Beatiff. Virginiſ præſervativa) iam declarata erit, tanquàm Catholicè infallibiliſ, ac ita uni- verſaliter certà, vt de illa iam nemo pius, ac verè doctuſ contrarium ſentire, aut dubitare audeat: ergò & ipſamet *ſententiæ piæ*, quæ talem gratiam adſtruit, & pro *obiecto* habet, iam erit quoquè declarata, tanquàm Catholicè cer- tà. Hoc autem omninò eſt falſum; contra ha- ctenuſ à nobiſ dicta; & deinceps dicenda, deni- que & ipſi Pontificiæ Bullæ repugnans, quate- nuſ videlicet hæc, contrariæ opinionì nondum adimit internuſ ſenſuſ; exiſtentiæ, veræ, & realiſ, gratiæ originaliſ adverſantem.

¶ Reſpondeo, hanc *obiectiõnem* inſigniſ laborare æquivocatione, & confundere duo, valdè inter ſe diverſa, ac omninò diſtinguen- da; dùm videlicet ex eo, quod diximus (ver- baliter implicite, ac indirectè per hanc Bullã declarari, & declaratum eſſe tanquàm rem Ca- tholicè certam) *obiectum cultū*, eſſe gratiam



originalem, Beatiss. Virginem à labe originallis peccati præservatam infert. nos dicere, declaratum esse, tanquàm rem Catholicè certã ipsam realem, ac veram existentiam huius obiecti, seu quod idè est gratiã præservativã, secundũ se & à parte rei verè, ac re ipsa esse, & existere. Illud prius nos asserimus, & verissimũ esse, probat ratio, à nobis facta, ampliusq; constabit ex dicendis infra *part. 2. §. 8. & 9.* Hoc verò posterius, omninò inficias imus, atque negamus vt falsum. Lõgè quippè aliud est, dicere, & asserere, à Pontifice declarari gratiam originalem B. V. præservativam, esse obiectum cultus, seu esse id, quod Ecclesia Romana celebrat, veneratur, ac colit, & hoc esse indubitabile, ac Catholicè certum. Et aliud est, asserere, à Pontifice declarari, obiectum cultus, seu id, quod Ecclesia Romana colit, ac celebrat, nẽpè gratiã originalem B. V. præservativam, *re ipsa ac à parte rei esse, & existere, & hoc esse Catholicè certum, ac à nemine in dubium vocari posse.* Illud prius declarat Pontifex, & nos asserimus, esse (*quoad nos*) Catholicè certũ: hoc verò posterius, nec Pontifex declarat, nec nos asserimus, esse *quoad nos* Catholicè certum. Quanquam vtrũque tale esse videatur, ac est, *secundum se, realiter, ac veluti materialiter; non*

autem formaliter, vt diximus & *quoad nos*, qui tamen interim ex vtroque, per consecutionẽ legitimam rectè deducimus, & infra ex professo palam facturi sumus, tam obiectum *sententiæ piæ*, nẽpè B. V. à labe originis fuisse præservatam, quàm *ipsammet sententiam piã* id propugnantem, esse Theologo metaphysicè infallibilem, ac certam. Detectã itaque obiectio nis huius æquivocatione, ac fallaciã, ruit, ac in fumum abit, quod adversum nostram asser tionem inferebatur.

## §. IX.

*Respondetur ad questionem §. 7. initio propositam.*

**H**IS, sic determinatis, nondum planè plènèque, satisfactus, quæret etiamnum zelosus virginæ puritatis amator, an hæc *declaratio*, à nobis hætenus exposita, sit, ac appellari possit, aut etiam debeat *definitio*, saltem *declaratoria*, aut *declaratio definitiva*, non quidem formalis expressa, & *fidei*, sed verbalis, virtualis implicita, & æquivalens, aut realis, tacita, facti, & operis, qualem esse diximus ipsam *declarationem iam explicatam.*

¶ *Respondeo primò*, decisionem huius quæstio-



*Examinis Theologici.*

tionis, nec paucos, viros etiam doctissimos, nec mediocriter tenere perplexos.

¶ *Respondeo secundò me*, ad illam, hoc loco exhibendam haud maximopere vrgeri ex instituto, & sine, mihi proposito, examinandarum illarum trium propositionum; sed ad hoc sufficere ea, quæ de varijs generibus, & gradibus declarationum hæctenus in medium adduxi.

¶ *Respondeo tertio*, hac in re, magis me velle præstolari, & cupere sequi sensum, ac ductum virorum sapientum, quàm hunc, hæc meâ scriptiunculâ prævertere.

¶ *Respondeo quartò* Theologos, virosque eruditos, ex ijs quæ §. superiore de varijs definitionum acceptionibus, generibus, & gradibus copiosè adnotavimus, & exemplis factis (vt reor) apertis palam fecimus, absque magno labore colligere, atque deducere posse, quid nam circa hanc quæstionem dici possit, aut debeat.

¶ Hi verò respondebunt, vt arbitror primò, si *definitio*, & *declaratio*, idem sunt, & capiuntur, vt synonymi, id ipsum prorsus significantia (pro vt ex *Barbosa*, & alijs notavimus §. superiori *notabili 1.*) tum absque vlla tergiversatione *declarationem*, à nobis hæctenus expositam, esse, ac appellari posse *definitionem declaratoriam*. Vbi enim

de

de re, per voces significata convenit, atque constat, de vocibus non est laborandum.

¶ *Respondebunt secundò*, sibi videti, ex ibidè allegatis & probatis, factis aperte colligi, & inferri, hanc *declarationem Pontificiã*, ob facta, seu opera, per ipsam *declarata*, esse, ac dici posse *definitionem* saltem *declaratoriam* (non quidem formalem verbalem expressam, nec *fidei*, vt iam supra ostensum est) sed inferioris alicuius generis, & gradus, certitudinis, aut probabilitatis) *realem*, ac *tacitã*, seu *operis*, & *facti* iuxta superius dicta *notabili 7. & 14.* iudicabuntque id se ostendere posse, applicando materiæ præsentis, penè omnia alia exèpla, ac dicta, quæ superiori §. ad cõprobandam *definitionem realem*, ac *tacitam*, per quatuor varios illius condendæ modos, sunt allata: idque à pari, vel etiam subinde à fortiori.

¶ *Nam primò*, si *Ecclesiastica consuetudo* declarat, seu est quædam *declaratio* (vti ait *Cõcil. Tridentinum*) & hæc *declaratio* iuxta *Canum*, & *Suarez* est, & vocatur *definitio*, cur non similiter *vetus illa Christi fidelium pietas*, & *antiqua Ecclesiarum consuetudo celebrandi Immaculatam B. Virginis Conceptionem*, erit quædam *declaratio*, quæ sit, & appelletur *definitio*? nempe *realis*, & *tacita* licet non *de fide*, seu *dogmatica*.

*Secun-*



Examiniſ Theologici.

¶ *Secundò*, ſi feſti alicuius *inſtitutio*, ab Ec-  
cleſia proficiſcens, eſt *tacita* quædam *declaratio*,  
*ac definitio*, vt conceptiſſimis verbis docet Sa-  
lazar cap. 4. 3. §. 1. & 4. cur *inſtitutio* feſti Imma-  
culatæ Conceptionis, ab Eccleſia profecta non  
poterit dici *tacita* quædam *declaratio*, & *definitio*;  
tametsi non rei *de fide* certæ.

¶ *Ad hæc tertio*, ſi, vt expreſſè docet Suarez  
Aegidius Luſii. & alij ab hoc citati, feſti alicuius pu-  
blici *inſtitutio* eſt quædam *canonizatio*, rei illius,  
quæ per feſtum tale colitur, & colenda pro-  
ponitur, omnis autem *canonizatio* eſt quædam,  
aut formalis & expreſſa, aut virtualis, aut de-  
nique realis, ac *tacita definitio*, vt ſupra ex Pa-  
tre Eufebio Nierembergio multis exemplis oſten-  
dimus, ergò ſimiliter *inſtitutio* feſti Immacula-  
tæ Conceptionis erit quædam *definitio*, ſaltem  
realis, & *tacita*, licet non de fide.

¶ *Præterea quartò*, ipſa *exhibitio* cultus, &  
*celebratio* alicuius feſti, rei, aut perſonæ, ab Ec-  
cleſia delata, & peracta, eſt *tacita* quædam *de-  
claratio*, & *definitio*, ſanctitatis talis feſti, rei aut  
perſonæ, vt expreſſè ait Salazarus citatus §. 1. &  
ſuſè oſtenſum eſt à nobis ſuperiori §. notabili 8.  
*circà tertium* realis *definitionis* modum. Ergò ſimili-  
ter *exhibitio* cultus, & ipſa realis *celebratio*, quæ  
Eccleſia Romana colit, ac veneratur ſanctita-  
tem

tem naturalis Conceptionis B. Virginis, ſeu  
gratiam originalem eiufdem, erit quædam *rea-  
lis*, ac *tacita* illius ſanctitatis *declaratio*, ac *definitio*,  
quamvis nondum de fide.

¶ *Denique*, vt alia omittamus, ſi olim per  
*tacitum* Sæmorum Pontificum *conſenſum*, ab Episcopis  
verè canonizabantur aliqui Sancti, & hæc *ca-  
nonizatio* non minùs, quàm aliæ ( factæ per verba  
formalia *definimus*, *determinamus*, &c. ) erat quæ-  
dam *definitio*, cur non erit feſti Immaculatæ  
Conceptionis *inſtitutio*, & *celebratio*, in quam Põ-  
tifex, non ſolum multis ſæculis *conſenſit*, verũ-  
etiam, quam ipſemet veneratus eſt, *celebrauit*, ac  
*coluit*, adedque *canonizauit*, & *definiuit*.

¶ Haud diſimili ratione facillique nego-  
tio adaptabunt iſti huic myſterio ea ferè om-  
nia, quæ de alijs ſparſim dicta ſunt §. *preceden-  
ti* ad probandum dari definitiones, non ſolum  
formales verbaliter, & expreſſè, verum etiam  
verbales virtuales, implicitas, & æquivalen-  
tes. Denique reales, & tacitas, ipſius *operis*, &  
*facti*: & ex his omnibus non omnes eſſe defini-  
tiones *fidei*, ſeu de rebus *definitis de fide*, ſed  
aliàs quædam inferioris generis, & gradus,  
maioris, vel minoris probabilitatis, aut certi-  
tudinis.

¶ *Atque ita reſpondebunt ultimò*. Et quidem  
aliqui

aliqui, cum Suarez, Aegidio, Salazar, & alijs, dicēt ſententiā piā eſſe definitā ſaltem declaratoriē, tanquam magis probabilem, magis piā, magiſque tutam.

¶ Alij cum Granado & complurimis alijs, eandem ſententiā piā ſtatuent, eſſe definitā (ſaltem indirectē, implicite, & virtualiter) tanquā moraliter euidentem, & certam.

¶ Alij colligent, ac inferent ſententiā piā ſaltem indirectē, & virtualiter eſſe definitā, vt phyſicē infallibilem, ac certam.

¶ Denique alijs cum Aegidio, Corduba, & alijs ab illo citatis dicent dictā ſententiā piā eſſe Theologo metaphyſicē certam, atque vt talem, virtualiter ſaltem, & implicite eſſe definitā.

¶ De cultu verò feſto, & celebritate, ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, ab Eccleſia inſtituta, exhibita, & colī demādata, ſibi perſuaſum eſſe, fatebūtur hodie omnes, eſſe definitā, vel declaratā, definitione, aut verbali implicita, & æquivalenti, aut ſaltem reali, ac tacitā, operis, & facti, tanquā Catholicē, & vniuerſaliter infallibilem certam, ac indubitātam, idque vt diximus à pari de feſto Natiuitatis, Aſſumptionis, Præſentationis: & de SS. canonizationibus, de quo iterum ſermo redibit infra part. 2. §. 8. & 9.

## §. X.

Satis fit argumentis ſupra §. 7. adductis.

**H**IS ita poſitis ſuper eſt, vt ex ijs, quæ hactenus diſputauimus, tandem ad ſeptē illa argumenta, principio ſuperioris §. (adverſus definitionis vocabulum, à quibuſdā ſimpliciter, & abſolute poſitum) allata, breuiter reſpondeamus.

¶ Argumentum primum erat, non poſſe dici, hanc SS. Domini noſtri Bullam, eſſe, aut continere definitionem formalem, eo quod ad hanc requiratur expreſſè poſitus hic terminus: *Definimus, decidimus, &c.* Quem tamen totā hanc Bullā conſtat non reperiri.

¶ Ad hoc argumentum reſpondetur ex prima, & 3. conſiſione, §. 8. à nobis ſtatuta; vbi vltro dedimus, hanc conſtitutionem Pontificiam, nec eſſe, nec dici poſſe definitionem formalem, iuxta mentem, & ſuppoſitionem huius argumenti, requirentis ad definitionem formalem expreſſos hos terminos: *Definimus, decidimus, &c.*

¶ Cæterum negamus ſuppoſitum, & dicimus ad formalem definitionem haud requiri ter-

minos illos expreſſè poſitos.

¶ Idque probatur tùm primò, quia generatim loquendo, omnis, cuiuſcunq; generis, & gradùſ definitio, prouti definitioni materiali ſeu obiectiue opponitur, & ab illa diſtinguitur, importatque actum definientis, internum, vel externum, appellatur *definitio formalis*, vti conſtat ex dictis §. 7. notab. 3.

¶ Probatur ſecundò, quia, etiam loquendo ſpeciatiuè, definitio directa, tametiſ implicita, prout opponitur definitioni virtuali, & indirectæ, dici poteſt, ac ſolet definitio *formalis*, quã vis hæc voce: *definiimus* deſtituatur, vt oſtendimus ibidem notabili 6. & 7.

¶ Probatur tertio, quis negabit hanc definitionem eſſe *formalem*, quã dicitur *homo eſſe animal rationale*? Et tamen ab ea abeſt hic terminus: *definio, decerno*. Idem dicendum de omnibus alijs definitionibus directis, ſeu in actu exercito pronuntiatis, quibus non præfigitur hic terminus: *definiimus, decernimus*, per quem reflexè, & in actu ſignato conſtituuntur definitiones *formales expreſſæ*, quæ dici poterunt reflexæ.

¶ Probatur quarto, ratione à priori, quia definitio formalis eſt, quã rei alicuius natura, & eſſentia aperitur, declaratur, determinatur, ac veluti ſuis finibus, & limitibus includitur.

Hoc

Hoc autem fieri poteſt multis modis, verbis, aut factis, vt dictum eſt §. 7. abſque eo, quod apponatur hic terminus expreſſus: *definiimus, decernimus, determinamus*, ergò iſ ad definitionem *formalem*, vt ſic non requiritur.

¶ Ad ſecundum argumentum reſpondemus, ex conſiſione 2. & 4. Pontificem, illis verbis: *Cùm à Romana Eccleſia, &c. Nondum fuerit hoc deciſum, &c.* locutum eſſe duntaxat de *decifione*, ſeu *definitione*, aut *declaratione de fide*, ſeu *dogmatica*; non verò, de definitionibus, aut deciſionibus alterius alicuius generis, vel gradùſ inferioris, iuxta ſuperiùſ dicta.

¶ Et patet tùm primò, ex dictis §. præcedèti in fine. Tùm ſecundò, quia aliàs Pontifex ſibi planè contradiceret, dùm ex vna parte, *per te* omnem omninò deciſionem, definitionem, & declarationem, citatis illis verbis negaret: ex altera verò parte, non ſolùm verbis æquivalentibus, & virtualiter, ſed & ipſo facto, nempe *inſtitutione, & celebratione* huius myſterij, *realiter, ac tacitè* illius certitudinem, aut metaphyſicam, aut phyſicam, aut morâlè, aut ſaltem maiorem probabilitatem, & ſecuritatem, definiat, atque declararet.

¶ Et quaſo te, nonnè tibi videtur, Pontificem aliquid *dicere*, ac *definire*, tùm, cùm conſtantiffimè aſſerit, & planè definit, *ab Eccleſia*



Romana, & à ſe nondum hoc eſſe deciſum? Ergò non omnem, ac cuiuſvis generis, & gradùs definitionem, aut deciſionem, in hac Bulla negat Pontifex; ſed illam duntaxat, quæ ſidei articulũ cõſtituat invehatque circà ſententiam piam, & gratiam originaleſ B. V.

¶ Pro confirmatione huius reſponſionis, obſervo (quod à nemine hætenus obſervatum ſciam, & ab omnibus, hoc ſcriptum lecturis ſummoperè obſervatum cupio) nempe Pontificem, illis verbis: Cùm à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, non dicere, hætenus (circà cultum ſententiam piam, & obiectum utriuſque) aut prorfus nihil, aut vlllo penitus genere, & gradu definitionis quidpiam eſſe deciſum, ſed ſolum dicere, nondum hoc eſſe deciſum, quo quidem pronomine demonſtrativo, hoc, non negatur, eſſe deciſum aliquid aliud, aut aliqua alia, aut aliud de à quibus in præſentia rum præſcindit Pontifex, negationem deciſionis applicando, & reſtringendo, ad vnicum hoc duntaxat.

¶ Inquirendum proindè, ac declarandum reſtat, quid nam ſit illud hoc, quod Pontifex aſſerit, nondum eſſe deciſum? Ad Bullam, & videbis, illud hoc, nondum deciſum, non eſſe aliud, niſi id, quod in eadem periodo vetat Pontifex. *Vetamus autem*, inquit. Et quidnam eſt id, quod vetat?

tat? *Quempiam* (inquit) aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes (nempe quod glorioſa Virgo concepta ſit in peccato originali) crimen hæreſis, aut peccati mortalis incurrant. Vides iam, quid vetet Pontifex? Nempe aſſerere, Authores contrariæ opinionis eſſe hæreticos formales, aut peccato mortali obnoxios, quamvis non vetat (ſaltem hoc ſecũdum) poſſe quempiam ſentire. Et cur hoc vtrumque vetat aſſerere? audi cauſam. Cùm (inquit) à Romana Eccleſia, &c. Nondum fuerit hoc deciſum, Hoc, inquit, ideſt, an cõtrariã opinionẽ tenentes re vera ſint, & appellari poſſint formales hæretici, apertèq; mortale peccatũ cõmittãt? Hoc dici, & aſſeri poſſe, vetat Pontifex, eo quod nõdũ ſit deciſum, an dicta crimina hucvſq; incurrerint. Hoc igitur eſt, illud hoc, quod per iſta verba aſſerit Pontifex nõdum eſſe deciſum, & nihil aliud, ſaltem directè, & explicitè.

¶ Confirmatur hæc interpretatio, ex illo alio termino, paulò ante poſito, quo Pontifex ait *Vetamus autem*, &c. quod propter hoc, contrariã opinionem tenentes. Nam quæro quidnam ſit, & ad quidnam appellet illud hoc, propter quod contrariam opinionem tenentes, & illi hoc adverſantes non debeant dici hæretici, & peccato mortali obnoxij? Redi iterum ad Bullam, & percurrere, debitã cum mentis attentione to-



Examini Theologici.

tum §. & periodum immediatè antecederem, & hincè verbis incipientem: Nos, inquit Pontifex, considerantes quod Romana Ecclesia, &c. vsque ad *vetamus autem*, & reperies illud *hoc*, non esse aliud, quàm à Pontifice assertam, declaratam, ac contestatam, festi, & celebritatis Immaculatæ Conceptionis, ab Ecclesia Romana peractam *institutionem*, cultus *exhibitionem*, specialis officij *ordinationem*, indulgentiarum *elargitionem* aliosque *favores* eximios, & singularissimos Summorum Pontificum; & sanctitatis suæ *desideriū* ingens, sedandarum *offensionum*, & amovendorum *scandalorum*, ex *assertione* contrariæ opinionis *ortorum*, & *oriri solitorum*: *innovationē* *constitutionum*, ac *decretorum* præteritorū Pontificum; *inhibitionem* omnium excogitabilium *modorum*, quibus voce, vel scripto aliquid agatur *contra piā sententiā*, *festum*, & *cultum*; interpretandi etiam, & glossandi Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Doctorum verba, facultate penitus ademptā. Denique, vt alia id generis, quàm plurima omittamus, *prohibitionem* omnium librorum, tam hætenus editorum, quàm deinceps edendorum, quibus aliquid aduersus *piā sententiā*, & *cultum* quovis modo attentetur. Hæc omnia ad vnum finem (favendi *piæ sententiæ*, *cultui*, & *festi*, eaque extollendi, & omnibus

bus persuadendi) collimantia, in vnum *hoc* colligit Pontifex, cum dixit se *vetare*, quod *propter hoc*, contrariam opinionem tenentes, & illi *hoc*, idest *verbis*, *favoribus*, & *factis* Ecclesiæ, atq; Pontificum oblucentes, &c. *hæresis crimen*, aut *peccatum mortale incurrant*, quasi lignanter dicat Pontifex: tot, ac tanta sunt argumenta rationes, capita, atq; motiva, tū ab ipso facto Ecclesiæ, tū à declarationibus, ac favoribus Pontificū, tū à communi, & per antiquo sensu fidelium, tū ex damnis, & scandalis, ex *assertione* contrariæ opinionis propullulantibus desumpta, quibus veritas, certitudo, & infallibilitas *sententiæ piæ*, *cultus*, & *festi*, mysterio Immaculatæ Conceptionis exhibitum comprobetur, vt videri cupiam possit, *hoc* iam vt fidei articulum definitum esse, adeoque illos peccare mortaliter, imò esse, & appellari posse formales hæreticos, qui motivis illis visis, nihilominus tanto tempore, tantaq; cum pertinaciā resistūt, & oblucentur. Verū, cum *hoc* (idest, illos esse formales hæreticos, & mortali culpæ obnoxios) *nondum ab Ecclesia sit decisum*, assero, neque illud, *propter hoc* (nempè *sententiā piā*, *cultum*, & *festum*, quantumvis tot Pontificum, & Ecclesiæ favoribus stipatum, tantisque comprobaturum rationum momentis, vt infallibile, ac



certum) nondum tamen esse definitum *de fide*. Et e contra, cum illud ipsum *propter hoc* nondum sit *de fide* definitum, declaro neque hoc posterius, id est, illos esse, aut dici posse formaliter hæreticos, huc usque esse decisum. Et ideo *vetamus* quempiam asserere, quod (*propter hoc*) *contrariam opinionem tenentes hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrant*. Ex quibus iam patet confirmatio duplex responsi, à nobis dati, nempe, à Pontifice, his verbis solum negari, quidpiam esse definitum, definitione fidei, non verò definitione alterius generis, aut gradus, uti iam supra ostensum est.

¶ *Ad tertium argumentum* iam responsum est per modo dicta, pro argumento præcedenti. Concedimus nimirum *ultrò*, nec *sententiam piam, nec cultum*, hætenus ut fidei articulum esse definitum, & consequenter opinionem *contrariam tenentes*, nec posse, nec debere appellari hæreticos, uti monet Pontifex, & probat ratio in argumento adducta. Negamus tamen, *indè rectè inferri, sententiam piam, & cultum*, aliaque non pauca, ad hæc spectantia non esse declarata, aut etiam definita, alia aliquà inferioris generis, ac gradus definitione, aut decisione, iuxta ea quæ diximus §. 7. 8. & 9.

¶ *Ad quartum responderi potest primò*, ex eo, quod

quod Pötifex, & Ecclesia nondum prohibuerit, aut prohibeat sensum internum *Piæ sententiæ* oppositum, nil posse colligi amplius, quam quod hætenus circa illam nihil sit definitum *de fide*. Quod *ultrò* fatemur, & iam dedimus *supr. conclus. 2.*

¶ *Responderi potest secundò*, quod, cum *Ecclesia non iudicet de occultis*, non rectè inferatur, nihil esse definitum circa *sententiam Piam, & Cultum*; multa enim reperiuntur definita, *etiam de fide credenda*, cum tamen sensus internus, illis oppositus, non reperiatur expressè ab Ecclesia prohibitus, quãquam hic ex se, & ex alijs principijs omninò sit illicitus. Sunt enim (ut probè norunt Theologi) quædam moraliter mala, quia prohibita, alia verò sunt prohibita, quia illicita, seu mala, nimirum intrinsecè, & secundum se. Vnde, quamvis nondum sit prohibitum ab Ecclesia sentire *métaliter contra sententiam piam*, non tamen exindè sequitur huiusmodi sensum internum esse bonum, aut licitum: quia, tametsi huic sensui non obstet Ecclesiastica prohibitio, obstare tamè potest, & fortassis obstat *rectæ rationis dictamen, conscientia, ac iuris naturalis obligatio, &c.* de quo plenius infra in examine *tertiæ propositionis*.

¶ *Ad quintum argumentum* respondetur *primò*,



mò, concedendo illud axioma cõmune (quod nempè terminus analogus supponat pro significato famosiori) quanquam videatur pati limitationem, iuxta ea quæ diximus, s. Superiori, notabili primo. Sed eo in sua vniuersalitate relicto, nos nihil vrgemur, qui hoc termino (definitio) non absolute vtimur, sed cum addito diminuente, ac restringente, vt ex dictis constat.

¶ Responderi potest secundo, huius termini definitio, principalius, & famosius significatum esse id, quod est esse veram definitionem, præscindendo, an hæc sit de fide, aut de re aliqua alterius generis, & gradus inferioris. Minus verò principalia significata illius esse declarationem, confirmationem, approbationem, &c. vt ibidem notauimus; atq; adeò simpliciter, & absolute positum, hunc terminum definitio supponere pro vera definitione, siue ea sit de re fidei, siue non. Quo supposito, nil vrget argumentum quintum.

¶ Ad sextum respondetur, negando sequelam: nulla enim prorsus colligi potest, ex hac Bulla contradictio, quippè, quæ (vt norunt Logici) debet esse eiusdem de eodem, secundum idem affirmatio, & negatio. Pontifex autem negat solum definitionem, seu decisionem de fide; circa

ca hoc mysterium, non autem aliam, aut alias, alterius generis, & gradus, quas, dum in eadem Bulla statuit, nullatenus sibi contradicit, cum eius affirmatio, & negatio non sit eiusdem de eodem secundum idem.

¶ Denique respondetur ad vltimum argumentum cum distinctione concedendo, hæctenus à nullo Authore Clássico assertum, definitam esse de fide sententiam piam, aut Cultum, iuxta illam, ab Ecclesia institutum, & exhibitum, negando autem nihil esse circa hæc affirmatum, vt definitum, definitione alterius generis, & gradus, vt constat ex Salazario, & dictis hoc, & superioribus, §§. Patet proinde, septem illa argumenta nullatenus euincere quominus dici possit, hanc Bullam Pontificiam esse, & cõtinere definitionem aliquam (non quidem de fide, circa sententiam piam, & gratiam originalem, vt sæpè monuimus) at saltem alicuius generis, & gradus, à fidei definitione deficientem. Et hiscè prælusisse deinceps dicendis, sit satis.





## PARS II.

## EXAMINATUR PRIMA PROPOSITIO

*iuxta varios ſignificatus huius vocis*

Pietas.

**P**rima propositio Anonymorum ſuperius part. I. §. I. à nobis relata aſſeuerabat: *Quod nempe Cultus, & celebritas, quam Eccleſia Catholica deſert, & exhibet Immaculate Conceptioni Matris Virginis, ſit pietatis, vel pia; eadem ratione, ac modo, quod dicitur, & eſt pia, ipſa ſententia, dictum. Myſterium progignans ( ſic enim loquitur in ſua Bulla Pontifex per hæc verba: Secundum piam ſententiam) planè, vt ſicut hæc ſententia intra pietatis limites ſe hætenus cõtinuit, ita ipſe Cultus, dictaque celebritas pietatis terminos nondum exceſſerit.*

¶ Nos ijs præmiſſis, quæ ad propositum ſcopum neceſſaria videbantur, cauſa ipſa poſtulate, ad excutienda ea tandem deuoluimur, quæ prima illa propositio ſub hac voce pietas palliare, atq; abſcõdere nitebatur. Adeò enim vario colore, Anonymi illi Authores eandem depinxerunt, vt veritati Beatiffimæ Virginis ab omni labe præſeruatione defenden-

denti facillimè fucum facerèt, maximè apud ſimpliciores animos, qui, vt candidioris genij ſunt, ita cõteros eodem metiuntur. Quare ad nos pertinere putauimus, velum è tabula remouere, ipſosque aduerſarios eò compellere, vt, aut ipſi genuinum pietatis vultum agnoſcãt, aut ex ſuo arbitrio nobis aſſignent aliquam, vel aliquas huius vocis pietas acceptiones, iuxtà quas ipſi velint, tam Cultum, quàm ſententiam in hac Bulla Apoſtolica pium, aut piam appellari. Licet verò impoſſibile ſit, vt non ſuis ipſi ſe caſibus induant, campum tamen ipſis, variasq; vias vltro aperiemus, vt, ſi quæ poſſint, in tuto ſe collocet, aut, ſi nequeant, ipſis alijsque omnibus tantò clariùs pateſcat, nullum porro falſitatis effugium ſuperſe.

§. I.

*De Pietate, iuxtà ſenſum, & acceptionem Bandelli.*

**R**etulimus ſuperius p. I. §. 5. hanc vocem pietas. Primò accipi abuſiuè pro pietate quadam falſa, erronea, hæretica, & ethnica, ac ſuperſtitioſa, quæ videlicet quidam, errore grauiffimo decepti, rem, aut perſonam quampiam falſam, & pio

Cul.

Cultu, ac veneratione omninò indignam, pio tamen proſequuntur affectu. Quo pacto id agunt Turcæ cum ſuo Machomete, vt diximus.

¶ Et iuxta hanc dictæ vocis acceptionem olim Vincentius Bandellus à Caſtronouo, Illuſtriſſimæ Dominicanæ Familiæ Generalis, aſſeruit, ſententiã noſtram eſſe, ac dici *piam*, abuſuè, ſcilicet, id eſt *erroneam, falſam, non piam, ſed impiam, hæreticam, & dæmonum deceptionibus obnoxiam*. Sic enim in *Epiftola dedicatoria ad Herculem Eſthenſem Ferrariæ Ducem*, ſententiã *piam*, quæ negat Virginem in peccato Originali conceptam vocat: *Errorem, inſanam opinionem, ſemina falſitatum*. Deindè ad calcem *Epiftolæ* ait: *Illam eſſe quid mortale, pernicioſum, ofalſitate plenum, & fidei, diuinisq; litteris contrarium*. Et lib. 1. cap. 9. ſic inquit: *Conſequens eſt, vt quicumque dicat Beatam Virginem nullum habuiſſe peccatum, ſit hæreticus appellandus*. Et capitibus inſequentibus: *Opinio* (inquit) *quæ dicit Beatam Virginem non contraxiſſe peccatum Originale, contradicit authoritati Sacræ Scripturæ, & Sanctorum, & eſt impia*. Et cap. 4. in 3. Corollario: *Eſt* (inquit) *doctrina corruptiuã fidei, aliaque id genus complura habet lib. 2. eiufdem argumenti, vbi ait: Qui Beatam Virginem ſine omni peccato dicit, horrenda peruerſitate Chriſtiane Religioni inſiſtus exiſtit*.

Et

Et in *tertia part. libri* appellat eum, qui id doceat *impium, profanum, & hæreticum*. Denique, vt innumera alia id genus conuictoriũ mittamus, *part. 4.* exclamat in hæc verba, in ſententiã *piam* inuehens: *Od dogma, inquit, diabolicum, quod in ſui perniciem diuerſa mendacia fingens, peruertere nititur veritatem!* Hæc paucula, tametſi, non ſine maximo rubore hùc referenda duximus, vt, quam acerbè, & iniurioſe Bandellus tractarit ſententiã *piam*, eiufque affectu olim tractare conſueuerint, ideòque à Summis Pontificibus meritò ad ſilendum compulſi ſint, lector diſpiciat. Hoc poſito.

¶ Quæro primò ex Anonymis hiſcè authoribus huius primæ propoſitionis, an & ipſi ſentiant cum Bandello, vocemque *pietas* in hoc ſignificatu capiant, adeòque ſententiã *piam*, & noſtram, *pietatem falſam, erroneam, & impiam eſſe*, apud ſe ſtatuant, an verò ſecus? Et fanè nobis omninò perſuaſum habemus, illos nequam adſtipulari Bandello, ſed quam longiſſimè ab ipſius mente abeſſe, vt potè: quam nõ ignorant, iam pridem, ac ſæpius à Summis Pontificibus grauiffimis cenſuris, vt *falſam, erroneam, temerariam, & à veritate alienam condemnatam eſſe*, vt in illorum Bullis videre eſt.

¶ Quà quidem in re probè ſapiunt, quãquam



quam etiamnum contra illos ſit. *Tùm primò*, quia iam principalem ſuum Ducem deferunt. *Tùm ſecundò*, quia eo ipſo iam *ſententiæ piæ* non nihil accedunt. *Tùm tertio*, quia inſtamus, vt aliam nobis aſignent ex vi ſuæ propoſitionis huius vocis *pietas* ſignificationem, illicò à nobis ad trutinam reuocandam. *Tùm quartò*, quia nondum principalem primæ ſuæ propoſitionis (quam hæc ſcriptione examinandam ſuſcepimus) effugiunt difficultatem, quam ſibimet ipſis nolentes, volentes neſtunt ac ingerunt, dum *Cultum*, & *ſententiæ piæ* in eodem certitudinis, aut probabilitatis gradu conſtituunt, quod omninò eſſe falſum, ſibi repugnans, & cenſuris, infrà ſtatuendis apertè obnoxium, ſequenti huius §. dilemate compertum faciemus.

¶ Sed fingamus (quod credere nullatenus poſſumus) quem piæ reperiri, qui ad eò uſque paſſione excœcatus, veſtigia *Bandelli* ſectetur, exiſtimans *pietatem ſententiæ piæ* eſſe falſam, impiam, & erroneam, &c.

¶ *Tùm contra eſt primò*, & principaliter, quia hic talis ſenſus, ſeu aſſenſus in primis eſt omninò falſus; *ſecundò* erroneus; *tertio*, temerarius; *quartò*, malè ſonans; *quintò*, piarum aurium offenſiuus; *ſextò*, ſcandalofus, *ſeptimò*, ſeditioſus, & expreſſè oppoſitus

*ſicut Bullæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII.* aliorumque Pontificum ſuorum prædeceſſorum, incurreretque Author cenſuras in dictis Pontificijs conſtitutionibus cõſtitutas; atque vt hæc omnia palàm fiant, ea per partes, ordine propoſito, probatum ibimus.

¶ Ac in primis eſſe falſiſſimũ hunc *Bandelli de piæ ſententiæ* ſenſum, primò mox aſpectu evadit manifeſtum, horrorque, quem auribus piorum ingerit, eum illicò à veritate prorfus alienum eſſe oſtendit.

¶ Probatur tamen *ſecundò*, ex ipſis cõceptiſſimis Bullæ verbis, quibus tam *cultum*, quàm *ſententiæ* appellat *pietatem*, & quidem *pietatem laudabilem*.

¶ Deinde *tertio* ex Gregorio XV. qui reſcribens Hiſpalenſibus, eam vocat *ſolidam pietatem*.

¶ Probatur *quartò*. *Sixtus IV.* in ſua Extravagante ait: illam eſſe *dignam*, & *debitam* Deo. Quo autem pacto eſſe poſſet dignum, & debitum Deo, quod eſt falſum, erroneum, & impium? Componat hæc *Bandellus*, & *Anonymi* iſti, aut quiſquis eorundem ſe aſſeclam profitetur.

¶ Probatur *quintò*, quia ex dicendis infrà *ſæpiùs* palam faciemus *ſententiæ piæ* nulla



penitus ratione posse esse, aut dici falsam, seu erroneam, sed è contra esse non solum probabilem, & probabilissimam; imò & certitudine non tantum morali, & physicà, verum etià *Theologo metaphysicà* infallibilem, certam, ac indubitam.

¶ Probat *sexto*, quia sensus huius enormis falsitas satis colligitur ex mira indignatione Summorum Pontificum, qui gravissimis in eundem censuris animadverterunt; & sanè iure meritò, quis enim sine stomacho, & absque horrore audiat, Catholicum, Religiosum, eius authoritatis, ac doctrinæ virum (etià post editas à Sixto IV. Bullas) ausum fuisse, aut (quod amplius est) die hodierna audere, non dicam interiùs sentire, sed palàm defendere, calamoque, ac libris committere, quod asserere, *Virginem non habuisse peccatum*, sit impiù, hæreticum, erroneum, corruptivum fidei, Sacræ Scripturæ, Patribusque contrarium? Hoc enim perindè est, ac dicere Ecclesiam Romanam, iugi, Spiritus Sancti assistentià gubernatam, *columnam, ac firmamentum veritatis*, rem impiam, erroneam, hæreticam, *vt piam* amplecti, laudeque dignam censere, eidemque tanquàm rei sanctæ, festa, & cultum instituire, atque ad maius celebritatis augmentum ijs, qui vene-

ras

ratione devota hoc mysterium iuxta dictam sententiam *piam*, piè coluerint, indulgentias elargiri. Hoc totum, profectò satis manifestat, quod dictus Bandelli sensus gravissimam illà *Sixti IV.* aliorumque Pontificum indignationem iure meritò incurrerit, quia hoc suo audaci loquendi modo (si quis rem rigorosà lance expendere velit) nil aliud asseruit, quàm Ecclesiam Romanam nescisse quid ageret, Spiritum Sàctum eam destituisse, vt caderet, aut sibi ipsi fuisse contrarium, cum eam moveret ad illa decernenda, quæ ipse longè aliter priùs Scripturis Sacris, & Ecclesiæ Patribus inspirasset, quod quàm sit dictu, & auditu horridum nemo non videt.

¶ Probat *septimò* argumento, vt aiunt, *ad hominem* ex ipsis verbis, & contextu primæ propositionis istorum Anonymorum desumpto, quo manifestè demonstrabimus, dictam propositionem primam non solum esse falsissimam, & vt diximus censuris, tam Theologicis, quàm Ecclesiasticis obnoxiam, verum etiam inconstantem, sibi ipsi repugnantem, destruentem se ipsam. ¶ Et quia hoc idem argumentum in hac secunda parte, & sequentibus ferè omnibus paragraphis adversus primam istam propositionem, & eius Authores



admoventium erit, operæ pretium, imò & neceſſarium eſſe duximus, paucula quædam, ex iam ſupradictis hic breviter adnotare, & obſtutibus legentium obijcere, quibus viſis, illius efficacia, & adverſariæ propoſitionis falſitas clarè appareat.

¶ Aduertendum igitur primò, Authores hos Anonymos in prima illa ſua propoſitione, & ex vi verborum illius, ſupponere, atque aſſerere (quàmquam falſò, vt mox cõſtabit) quod *cultus, feſtum, ac celebritas*, quàm Eccleſia Catholica defert, & exhibet myſterio Immaculatæ Conceptionis, ſeu gratiæ primæ inſtantis, Beatiffimam Virginem, à labe originali præſervantis, quo ad *pietatem*, eiufdem omninò ſit rationis, ac eſt ipſa *ſententia pia*. Quæſi dicant quidquid veritatis habuerit, aut falſitatis, probabilitatis, aut improbabilitatis, bonitatis, vel malitiæ, certitudinis, vel incertitudinis ipſa *pia ſententia*, id ipſum totum in eodem gradu, ratione, ac formâ, nec amplius, obtineat ipſe *cultus, feſtum, ac celebritas dicta*.

¶ Clarè id oſtendunt ipſa primæ propoſitionis verba, præſertim illa: *eodem ratione, ac modo, vti & illa: ſecundum piam ſententiam*. Deniq; illa alia comparativa; *ſicut hæc ſententia, &c. ita ipſa cultus*. Quæ omnia æqualitatem, parè que

que rationem, ac ſtatum, gradumque vtriuſq; aperte ſignificant.

¶ Hic porrò loquendi modus planè ſophiſticus eſt, ac latente dolo pleniffimus, quo Anonymi iſti, ſemetipſos miſerè præcipitant, vnàque ſecum ſimplicioris animi homines, eãdem in foveam agunt, qui quantò ſyncerioris genij ſunt, minùſq; ſophiſmatibus, & æquiuocationum impoſturis aſſueti, tantò planiùſ de verborum ſignificationibus iudicant, promptiùſque falluntur. Vt ergò dolus manifeſtam in lucem protrahatur, quem ſtruere incautiſ, eo loquendi modo dicti Authores moliuntur, ex vno hoc ſyllogiſmo (cuius maior propoſitio, ipſa ſtatuetur Anonymorum prima propoſitio) liquiddò conſtabit. Eſt autem iſte.

¶ *Cultus, & celebritas* (inquiunt) quàm Eccleſia Catholica defert, & exhibet Immaculatæ Conceptioni Beatæ Virginis, eſt pietatis, vel pia, eadem proſus ratione, modo, paſſu, ac gradu, quo eſt, & dicitur pia, ipſa ſententia, dictum myſterium propugnans, &c. Sed (ſubſumit Bandellus, & eius Aſſeclæ) *ſententia pia*, myſterium Immaculatæ Conceptionis defendens, eſt impia, Sacre Scripturæ, & Sanctis Patribus contraria, doctri-næ fidei corruptiua, profana, &c. Ergò (per neceſſariam conſequentiam) *cultus, & celebritas* quàm Eccleſia defert Immaculatæ Con-

Conceptioni Beatæ Virginis ſimili prorsus rã-  
tione, gradu, ac modo est impia, heretica, corru-  
ptiva fidei pr fana ſicut ipſi ſententiã; quandoquidẽ  
utrique, idem defertur pietatis gradus, certi-  
tudo, aut falſitas eadem, vt prima propositio  
ſonat, atque ſupponit. Et iuxta hunc diſcourſũ  
extrahi debet, ab Adverſarijs quibuſvis, mēs,  
ſenſus, ac intentio eorundem in reliquis omni-  
bus acceptionibus, quas ipſi huic voci pietas  
attribuerint.

¶ Ex quo iam luce clarius ſe prodit Ad-  
verſariorum malitioſa aſtutia, doluſque, hãc  
ſuã proſitione intricatus. Cũ enim ex vna  
parte opinionem ſuã mordicũs tueri cupiant,  
hanc verò, ex altera per præſentem Bullam  
(quã *cultus*, vt infallibilis, ac certus, verbis de-  
claratur, & factis) depreſſam penitũs, ſũmas-  
que in anguſtias redactam conſpiciant, aliun-  
dẽ verò, adverſus ipſum *cultum* aperto Marte  
pugnare nõ audeant, ad techanas cõfugiũt, oc-  
cultantes ſagittas in pharetra, vt ſagittent in  
obſcuro rectos corde. Cumque ob rei enormi-  
tatem *minorem illam proſitionem* Bandelli, &  
aliorum, eiufdem farine ſubiungere ſuã pri-  
mã proſitioni, ac palam efferre meritò re-  
formident, multò verò minũs conſequẽtiam,  
eodem filo deductam inferre; maiorem illam pro-  
po-

*poſitionem*, æquívoco ſophiſmate palliatam ob-  
trudunt, ſi quã ratione in cautiore alicui per-  
ſuadeant, vt turpiter deceptus, ex *maiore illa*,  
ac *prima illorum proſitione* inferat, ipſum quoq;  
*cultum*, etiamnũm eſſe dubium, errorique, fal-  
ſitati, ac deceptioni (quibus obnoxiam pu-  
tant *ſententiam piã*) ſimiliter ſubiectum eſſe.  
Atque ita ovum ponunt, cõteris, colore qui-  
dem ſimillimum, è quo tamen, vbi corticem  
ruperis baſilifcus prodeat, qui vel obtutu ſuo  
interimat accedentes.

¶ Advertendum *ſecundò*, certitudinem  
*cultũs, feſti, ac celebritatis*, ab Eccleſia, ſub titulo  
præſervatæ Virginis decretæ, ac delatæ, non  
vno, ſed pluribus titulis eſſe maiorem, & gra-  
dũ ſublímioris, certitudine *ſententiæ piæ*. Illam  
que deſumi, ac colligi, tum ex dictis ſupra p.  
1. §. 3. in ſine & §. 5. & 6. item §. 8. & 9. Tum &  
potiſſimum ex varijs differentijs, ab ipſamet  
Eccleſia inter verumque ſtatutis, & per præ-  
ſentem Bullam declaratis.

¶ Et quidem *prima eſt*, quod *cultus* cum ſua  
certitudine, vicinior & immediatior ſit veri-  
tatibus fidei: *ſententia* verò *piã* mediator, &  
gradu vno remotior, vt diximus 1. p. §. 6. 7. 8.  
& 9. & infra dicetur ampliũs §. 8. & 9.

¶ Secunda differentia eſt, quæ reperitur in-  
ter



*Examinis Theologici.*

*ter principia, & conclusionem:* cum illa, hanc semper certitudine, ac evidentia præcellant, siquidem conclusio ex principijs deducitur. Et hæc ob rem, tam Bandellus, quam piæ sententiæ subscribentes, ex certitudine *cultus, sententiæ* certitudinem metiuntur, ille quidem, ut eam neget unquam cum suis, alij verò cum tota Ecclesia, ut eam stabiliant, tanquam infallibilem conclusionem, ex *festis, & cultu* illatam, de quo infra §. 8.

¶ *Tertia differentia* desumitur ab eo, quod est esse declaratum, ut *Catholicum*, seu univèrsale, cum alterum duntaxat definitione alià, gradus alicuius inferioris polleat; primi generis est *cultus*; secundi generis ipsa *sententia piæ*, quæ necdum ad eum univèrsalitatis gradum ascendit, ut diximus supra §. 7. & 8. & infra dicetur §. 8. & 9. Tametsi Reverendissimus Pater, Magister Frater *Ioannes à Sancto Thoma*, ut aliàs annotavimus posuerit *cultum, & constitutionem* non solum in gradu *Catholici*, sed insuper *Fidei Divinæ*, qui supremus est, de quo redibit sermo infra §. 8.

¶ Ex quo clarescit *quarta differentia*, quæ inde desumitur, quod Pontifex, non tantum ponderis *sententiæ piæ*, quantum *festis, & cultui* attribuat. Siquidem non permittit, ut opinio  
*senten-*

*sententiæ piæ*, & gratiæ originalis B. Virginis contraria, heretis, peccati mortalis, aut impietatis condemnatur. Cum de opinione (*cultui, ac festis*) opposita id non vetat, ut constat ex dictis p. 1. §. 3. in fine.

¶ *Quinta*, quantum ad sensum interiorè, potest is esse contrarius (Beatissimam Virginem ab omni labe præservatam) sentientibus; menti tamen, ac sensui Ecclesiæ, circa *cultum, & festum*, contrarius esse non potest.

¶ *Sexta differentia* est, quod Pontifices, cum censuris subijcerent propositiones, sparsas contra Immaculatam Conceptionem, & alia in hoc Brevi Apostolico contenta, pro principio sumpserunt *festum, & cultum*, tanquam rem, ipsa piæ sententiæ magis indubitabilem, ac certam. Omnesque Authores, qui veritatem, ac certitudinem *sententiæ piæ* stabilire conati sunt, ad *cultum, festum, ac celebritatem* (quam Ecclesia huic mysterio exhibet) tanquam ad principium magis clarum, & certum, quo ad nos recurrerunt. Adversarij vicissim, omnem lapidem moverunt, ut *cultum*, quoquomodo elevarent, ad suppressendam *piæ sententiæ* veritatem, quam efficacissimè ex *cultu* probari, vel nolentes confitebantur, ut infra dicetur §. 8.

¶ Hinc etiam ipse Bandellus, argumen-

ro, ex cultu desumpto (quod ipse in ordine decimum collocat) ita se coarctum reperit, ut dicere coactus sit, Ecclesiam nunquam celebrasse Conceptionem, connotantem instantia antecedentia, aut ipsam animæ infusionem. Sic enim ait: *Ex quibus patet quod Ecclesia non facit festum Conceptionis carnalis, quæ importat seminis susceptionem, vel animæ infusionem, sed Conceptionis spiritualis, quæ importat gratiæ infusionem.* Et hanc spirituales Conceptionem rigide tuetur, etiam contra Sixti Extravagantes, eo quod desumptum in festiuitate argumentum sibi invincibile videretur, si ea de primo instanti intelligeretur, sicut revera de eo intelligendam, & semper ab Ecclesia intellectam esse per præsentem Sanctissimi Domini Nostri Alexandri Septimi Constitutionem perspicue est declaratum, ut supra docuimus p. 1. §. 8. & infra §. 8. dicemus.

¶ Ex his iam vides, falsum esse dicere, quod procedant pari passu, eodemque certitudinis gradu (quo ad nos) *cultus, festum, & sententia pia*, ut prima ista propositio Anonyma, quam discutimus cõminiscitur. Atque ut hoc aperius, ampliusque constet.

¶ Veniamus ad argumentum paulò ante, à nobis promissum, & sæpius, ut diximus, in sequentibus paragraphis, ad hominem contra

Au.

Authores Anonymos, & primam illorum propositionem in arenam producendum; idque hoc dilemmate exhibemus.

¶ Iteratò namquè inquirimus, an dicti Anonymi, si cum Bandello sentiunt, id sentiāt de solo cultu, festo, ac celebritate huius mysterij, de quo agimus? An verò è contrà, de sola sententia pia, Virginem Beatissimam, à labe originalis peccati eximente? An demùm, absque villo discrimine de utroque? Et quidquid ipsi horum senserint, id omninò falsum, varijs cõsuris obnoxium, & contra ipsos, & propositionem eorum pugnare manifestè demonstrabitur.

¶ Et quidem primò, non poterunt vllatenus sentire cum Bandello de solo cultu, & celebritate dicta. Tùm primò propter ea, quæ in primo dilemmate, pro secunda illius parte, contrà huiusmodi sensum supra attulimus, dùm illū esse falsissimum, & sæpius à Pontificibus condemnatum, gravissimisque subiectum esse cõsuris docuimus, & paulò hic infra amplius docturi sumus.

¶ Tùm secundò, ex notabili secundo, paulò ante, à nobis explicato, & ex alibi dictis, ac dicendis, vbi cultum declaratum esse tanquàm Catholicum stabiliemus, ac comprobabimus. Quomodo ergò hic cultus impius esse, aut pro tali etiam mentaliter haberi poterit?

Y 2

Tùm

¶ Tūm tertio, & propius, ad hominem contra iſtos Anonymos: quia *per te*, & proſitionem iſtam tuā primam, *cultus*, ſeu celebritas, & ipſa *ſententia pia* eiufdem prorfus ſunt pietatis, generis, rationis, ac gradus, probabilitatis, aut improbabilitatis, certitudinis, aut falſitatis, &c. Ergò non poteſ ſentire cūm Bandello id, quod ſentis, de ſolo *cultu*, & *celebritate*, quin prorfus id ipſum quoquē ſentias, de ipſa *ſententia pia*; quandoquidem eiufdem omninò ſunt *pietatis*, ac rationis, vt tu aſſeris; vbi enim eadem eſt ratio formalis, idem reperitur effectus formalis, ergò, aut nega te id ſentire de ſolo *cultu*, aut fateare, primā illam tuā proſitionē, eſſe falſam; aut deniq; cōvinceris, illā, ſibi ipſi eſſe contrariam, ac repugnantem.

¶ Sed neque ſentire cūm Bandello id poterunt de ſola *ſententia pia*. Tūm primò, ob argumenta, paulò ſuperius à nobis allata. Tūm ſecūdo, quia infrā à §. 6. per omnes reliquos, vſque ad finem huius partis palam faciemus, *ſententiam piā*, eſſe, nō tantum moraliter, aut etiam phyſicè, ſed Theologo metaphyſicè inſallibilem, ac certam, atque ad eò nullā ratione poſſe illam etiam mentaliter, abſque temeritate tractari, ut *impiam*.

¶ Tūm tertio, argumento ad hominem, contra iſtos Anonymos, & illorum primam pro-

poſitionem, quia *per te ſententia pia* ei uſdem eſt *pietatis*, ac rationis vt eſt ipſe *cultus*, & *celebritas*, quæ, vt ait Pontifex, & ipſimet in ſua prima proſitione, *ſecūdum piā ſentētiā*, myſterio Immaculatæ Cōceptionis Batæ Virginis, ab Eccleſia defertur. Ergò ſi ſentiunt cūm Bandello, non poſſunt quidquam ſentire contra *piā ſententiam ſolam*, abſque eo, quod idē prorfus ſentire etiam cogantur contra *cultum*, cūm vtriuſque eadem, per ipſos ſit ratio. Non ergo dicere poſſunt ſe ſolū ſentire contra *ſententiam piā*, niſi fateantur, primam illam ſuam proſitionē eſſe falſam, & ſibi ipſi aduerſatē.

¶ Denique tertio, ſentiendo cūm Bandello, non poſſunt ſentire, quod ſentiunt *ſimul de vtroque*, nēpè *cultu*, & *ſententiā piā*. Tū primò, propter argumenta iam facta, pro prioribus duobus membris, quæ, vt per ſe liquet militant à fortiori contra vtrumque coniunctim. Nam ſi id ſentire nequeunt de neutro, quā ratione id ſentient de vtroque?

¶ Illud vnum, ac novum armamus, ad hominem contra iſtos Anonymos, & illarum primam proſitionem, omninò irrefragabile, & peremptorium argumentum, in hunc modū. *Per te cultus*, ab Eccleſia præſervatæ Virgini delatus, & exhibitus, eiufdem prorfus eſt *pietatis*, ac rationis generis, & gradus probabi-



litatis, aut certitudinis, cuius est ipsa *sententia* *pia*. Quo posito binas adversū te, tuoq; ex se-  
 fu erutas subiungo propositiones *minores*. Pri-  
 mam; sed *per te* (& Bandellum, quem sequi sup-  
 poneris) *sententia pia, est non pia, imò impia, fidei cor-*  
*ruptiva, profana, haeretica, Sacrae Scripturae, & Patrum*  
*Doctrinae contraria, ergò per te, ipse cultus, & celebra-*  
*tas* mysterio Immaculatae Conceptionis Bea-  
 tissimae Virginis, ab Ecclesia delata, & exhibi-  
 ta similiter est *nō pia, quin & impia, haeretica, & c.*  
 quod prorsus est falsissimū, & absque errore,  
 & ingenti temeritate dici nullatenus potest,  
 vt per se patet, suoq; loco demonstrabitur, er-  
 gò iisdē vitijs obnoxia est prima illa tua pro-  
 positio, & doctrina in illa cōtenta, ex qua ab-  
 surdissima hęc conclusio evidenter infertur.

¶ Secunda propositio *minor*, quam primę  
 illi tuę propositioni subnectimus, est eiusmodi:  
 Sed *cultus, & celebritas*, ab Ecclesia præserva-  
 tæ ab originali labe Virgini impenfa, est Ca-  
 tholicè infallibilis, certa, & indubitata, vti iā  
 constat, tum ex dictis suprā part. 1. §. 8. & hoc  
 præsentī §. notabili 2. ampliusque constabit  
 ex dicendis infrā hac 2. parte, §. 8. 9. & sequē-  
 tibus, Ergò, & ipsa *sententia pia*, quæ *per te* pari  
 passu incedit cū *cultu*, ac in eodem gradu,  
 quo ille sita asseritur, similiter est Catholicè  
 infallibilis certa, ac indubitata. Mi-

¶ Miserram te, qui in easdem pedicas,  
 quas incautis expanderas incidisti, tantò vti-  
 que molestiores, quantò id malum ferit acer-  
 bius, quod multo sibi Author sudore compa-  
 ravit. Dū enim tibi, rebusque tuis per eius-  
 modi technas apprimē te consulturum existi-  
 mabas, incautus causæ nostræ subscribis, at-  
 tribuens *sententiae piæ* amplius, quàm volueras,  
 quàmque nos desideravimus certitudinis, &  
 infallibilitatis; vi namque tuæ primæ propo-  
 sitionis, eam, de gradu inferioris certitudinis  
 ad ipsam veluti Aram Catholicæ veritatis, ac  
 infallibilitatis attollis: adedque, quod conse-  
 quens est, opinionem, illi contrariam, etiam  
*sensu interno* privas, itaque exanimas, vt ab  
 Ecclesia, tanquam abortivum reijci merea-  
 tur. Quod quidem, nec Bulla voluit hætenus  
 decernere, nec nos eam sequentes asseverare,  
 nec tu ipse, nisi tibi pessimè consulas fateri.

¶ Manet igitur evidenter, vt opinor, de-  
 monstratum, tam sensum Bandelli, quàm pro-  
 positionem primam horum Anonymorum, esse  
 penitus falsissimam, sibi ipsi repugnantē, sui-  
 que ipsius destructivam, & mox recensendis  
 censuris subiectam.

¶ Prius quàm verò ad eas referendas, ac  
 comprobandas accedamus, benevolum lecto-  
 rem, semel pro semper, hoc loco paucis monē-  
 dum



dum putavimus; *Primo*, Alias esse censuras *Theologicas*, idest à Theologis, varijs propositionibus circa doctrinam fidei, ac Theologiæ peccantibus infligi solitas; Alias *Ecclesiasticas*, idest sub varia, variarum interminatione pœnarum, ab Ecclesia, aut Summis Pontificibus in contravenientes fulminari consuetas.

¶ *Secundo*, nos hæc scriptione nostrâ haud quaquam censurare, aut censuris notare velle ipsam *opinionem contrariam*, nempè, quæ Beatissimam Dei Matrem cum peccato originali affirmat fuisse conceptam, vtpotè, quàm diversis Summorum Pontificum Bullis, à fulmine condemnationis *assertivæ* hæreseos, peccati mortalis, aut impietatis hætenus non ignoramus protectam; quibus per omnia, vt par est, debitum præstare cupimus obsequiû. Sed censurare duntaxat propositiones illas, quas nonnulli, oppositæ sententiæ Patroni, & isti Authores Anonymi, haud absque gravi iniuriâ, piorumque omnium magno doloris sensu effatierunt, *contra sententiam piam, & cultum*, iuxtâ illam (vt ait Pontifex) mysterio præservationis Beatissimæ Virginis, ab Ecclesia Romana exhibitum; quod vt patet longè ab illo est diversissimum, neque fieri prouhibitum.

¶ Adde, nec hoc quidem agendo; nos dictas censuras alicui propositioni, aut illius

Au-

Authori *absolutè* impingere, sed solum *sub conditione*, si videlicet *hic, vel ille, hoc, aut illud*, notâ, & censurâ dignum aperte dixerit, fenseritue. Hæc, vt diximus præmonere voluimus, has nostras animadversiones lecturos, ne fortè quispiam, dum, ex vna parte resonare censurarum tonitrua audiat, & ex altera, inter ea, quæ annotavimus fortè immemor non distinguat, nos niti in vetitum, ac Bullis Pontificum contravenire, deceptus arbitretur.

¶ *Primo* igitur videtur, hic Bandellistarû sensus esse *erroneus*, eò quod se opponat cõclusioni Theologiæ, deductæ, ex vno principio de fide, quod est indefectibilis assistentia Spiritus Sancti, & ex altero naturaliter evidente, vt est v. g. declaratio Pontificia, sensusque totius vniuersalis Romanæ Ecclesiæ, vt p. 1. §. 8. notavimus.

¶ Est præterea *temerarius*, eò quod se opponat *omnibus ferè Catholicis*, SS. Pontificibus, Prælatibus, Ecclesijs, statibus, Vniuersitatibus, Theologis, ac Regnis integris.

¶ *Malè sonat*; vt enim benè sonare possit ea lingua, quæ publicum vniuersalis Ecclesiæ cultum esse impium proclamat?

¶ *Scandalosus* est; propter scandala, quæ ipsi Pontifices in suis Bullis referunt, hanc opinionem mundo præbuisse. Quod si nuda hæc

Z

af-



affertio, *Virginem in peccato conceptam* ſtatuens, ſcandalofa eſt, quid erit illa, quæ impietatem ſupradicto Virginis cultui impingit?

¶ Ex quo, probatione porro non indiget, eſſe conſequenter *piarum aurium offenſivam*.

¶ Seditioſa præterea eſt, nam ſeditiones ex ſola *affertione* originalis peccati, Dei Matris ſatis ſuperque ex Bulla innotescunt, patens-  
q̄ amplius, ex ſuo malo intrinſeco, quia a ſe-  
metipſa (vt oftendimus) diſidet, atq̄ diſſentit.

¶ *Iniuriouſa* denique eſt toti Eccleſiæ, Põ-  
tificibus, ac Bullis eorum. Vnde qui vlteriùs  
diceret, quod *appellare piam ſententiã Eccleſiæ, im-  
piam*, ſit omninò impium, rectè diceret, & ad-  
huc minùs, quã dicta, tam audacia mereantur.

¶ Cenſuræ verò *Eccleſiaſticae*, quas merentur illæ propoſitiones Bãdelli ex eo, quod ſe-  
ſe diplomati Pontificio opponant, tot, ac tan-  
tæ ſunt, quot ſunt clauſulæ quibus refracta-  
rios ſeſe exhibent, à capite ad calcem. Sive  
enim intueamur ea, quæ refert Pontifex, pro-  
prio motu, ſive, cum ibi laudat *piam ſententiã, feſtiuitatem, & cultum*, ab antiquitatis testi-  
monio, Bullis Sixti, confirmatione Concilij, Cõ-  
ſtitutionibus Pauli, ac Gregorij, Officio Di-  
uino, prohibitione librorũ contrariorum, qui  
*ſententiã, feſtum, & cultum in dubium vocave-  
rint,*

rint, &c. omnibus his contravenire compro-  
bantur.

## §. II.

De Pietate apparente iuxta Cayetanum.

**D**ifcedit ab iudicio, ſui olim Generalis,  
Bandelli, Eminentiffimus Cayetanus, cum  
alijs quibusdam eiufdem ordinis, in refellen-  
da pietate noſtræ ſententiæ, qui eandem maio-  
ri quidem cum modestia tractãt, ſed non maio-  
ri veritate appellant: *Pietatem apparentem, fun-  
damento ſolido deſtitutam, muliebrem, & anilem, ruſti-  
cam, rudem, & vulgi opinioni ſimillimam, authorita-  
tis pondere carentem.*

¶ Etenim Tractatu de Cõceptione, cap.  
5. ait: *Vulgum non facere opinionem probabilem, niſi  
vulgariter, & apparenter, non in ipſa rei veritate: hinc  
pro iſta noſtra pietate non citari (ait) vllum ſanctum,  
aut Doctorem illuſtrem antiquum, niſi fortè ab aliquo  
ſaſario adductum.* Cayetano, quo ad hoc etiam,  
præter dicta, cõſentit Bandellus, & alij nõnulli.  
Lubet verò Cayetani verba attexere, vt lector  
in ipſis fontibus videat, quas indè deinceps  
rivos deduxerint, ſic ergò habet: *Quod autem  
iam communis facta ſit iſta opinio, ita vt omnes ferè  
Catholici Latine Eccleſiæ arbitrentur obſequium ſe  
præſtare Deo in huiusmodi ſequela opinionis, ex eo red-*



dit opinionem probabilem, quia probabile est, quod multis videtur; sed probabilitas hæc vulgarem auctoritatem non excedit, & ei contraponitur, quod probabile in veritate est, quod videtur sapientibus, qui contrariam secuti sunt opinionem; vulgus autem probabile in apparetia, non in veritate constituit. Vbi observa Cayetanum eodem capite paulò ante hæc verba præmisisse: Doctores tenentes Beatam Virginem esse præservatam, sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus, paulò ante tamen aliqui, licet pauci fuerunt, ut Scotus, Franciscus de Maironis. Et alibi eodem tractatu de Conceptione, ait: Propterea non est mirum, si nullus Sanctus, nullus illustris Doctor antiquus pro hac parte afferatur, nisi fortè à falsarijs.

¶ Sed id omnem admirationem superat, quod in 3. part. quest. 27. a 2. de sententia pia allegat in hunc modum. *Que hodie mulieribus, vulgo, affectuque, nonnullorum pio, multorum autem industria, ac questu cogentibus ita prævaluit, ut doctrina Sanctorum, æstimata pietas præferatur; & quod in cõmuni afferitur, in his scilicèt, que credenda sunt sectandos esse magis antiquos Doctores, quàm modernos, in hoc particulari posthabetur: dùm moderni antiquis, & non sancti, sanctis præferuntur.* Subiicit: Testatur autem erraticus hic processus similes esse istos peccantibus ex ignorantia electionis, dùm in vniuersali scientes, applicando ad particulare ab vniuersali declinant. Hæc Cayetanus; quibus positis, Quæ-

¶ Quæro, ex hiscè Anonymis, huius primæ propositionis Authoribus, an mens illorum conformetur menti Cayetani, sentiantque cum ipso pietatem, sententiæ piæ esse solum, apparentem, imaginariam, friuolam, existimatam, muliebrem, ac omni vero, solidoque fundamento destitutam, an verò secus? Si hoc secundum? probè quidem sapiunt, sed tùm contra ipsos est. Primò, quod iam castra tanti sui ducis deserant, ac à contraria opinione recedant. Secundo, tantumdem sententiæ piæ accedant. Tùm tertio, quòd, licèt id agant, non tamen propterea vim irrefragabilis illius argumèti ad hominem effugiāt, quo ex ipsa, illorum propositione prima (sententiam piam, & cultum festiuum, in eodem pietatis, seu veritatis gradu collocante,) illos adversum se ipsos pugnare, se ipsos destruerè, s. superiori ostēdimus, & hic paulò infra iteratò demonstrabimus. Tùm denique quartò, quia ex hinc illos vrgemus, ut aliam nobis assignent, melioris conditionis acceptionem pietatis.

¶ Si autem Cayetano adhæreant, sententiã tenebunt falsam, temerariam, iniuriosam, scandalosam, periculosam, Pontificiæ Constitutioni contrariam, ac censuris, ibidem interminatis innodatam. Atque, ut nobis fidem adhibeant,

beant, per partes probationem oculis ſubij-  
ciemus.

¶ Et in primis quod *falfa* ſit, multà pro-  
batione non eget, eo quod id luce Meridiana  
clariùs videre liceat in argumentis, paſſim al-  
latis, ab Authoribus noſtræ ſententiæ, & par-  
ticulariter à Suarez, Varquez, Salmerone, Grana-  
dos, Salazar, Eusebio, Ægydio Luſitano, & alijs, qui  
tantam argumentorum molem coacervant,  
vt omnibus facile conſtet, non eſſe hanc *pieta-  
tem* (cui tot, ac tanti, cùm reliqua Eccleſia  
adhærent) *apparentem, æſtimatam, atque vulga-  
rem, ſed veram, ſolidam, atque robuſtam*; illa igitur  
argumenta, breviter, ac ſuccinctè hic annota-  
bimus.

¶ Authores igitur citati ſoliditatem, ve-  
ritatemquè *ſententiæ piæ* probant. *Primò*, ex  
Scriptura Sacra. *Secundò*, ex Apoſtolica tradi-  
tione. *Tertiò*, testimonijs Conciliorum gene-  
ralium. *Quartò*, authoritate Eccleſiæ, in eiufdè  
feſti institutione, & celebratione. *Quintò*, ex  
Summorum Pontificum decretis, qui eidem  
favent, gratijs, ac indulgentijs impertitis. *Sextò*,  
Sanctorum Patrum, latinorum, iuxta, ac  
Græcorum authoritate (quos omnes, excep-  
tis fortaiſſe tribus, vt oſtendit Ægydius Luſit.  
Granadus, Salazarius, Lezana, & alij, pro ſen-  
ten-

tentia pia ſtare probatur, & ipſe Cayetanus,  
in quantum eos ſuæ opinionì favere putat, nu-  
mero quindenario incluſit) nec non Menolo-  
giorum. *Septimò*, revelationum approbatarũ.  
*Octavò*, miraculorum varietate, in confirma-  
tionè huius myſterij patratorum. *Nonò*, autho-  
ritate Doctorum Eccleſiaſticorum, Theolo-  
giæ, Canonum, & Scripturæ. *Decimò*, ex com-  
muni ſenſu omnium ferè Catholicorum, deq;  
ſingulari applauſu, ac gaudio, quod monſtrat  
in eius celebritatis propagatione. *Undecimò*, ra-  
tionibus efficaciffimis, quaſi innumerabili-  
bus, diſcurſibusque Theologicis, fundatis, tũ  
in dignitate, ac præcellentiâ Matris Dei, ſuiq;  
Filij decentia, tũ in perfectâ redemptione  
Chriſti, tũ in alijs privilegijs, ac prærogati-  
vis, eidem, ab Eccleſia attributis, ac celebra-  
tis. Vnde evidenter concluditur illius Con-  
ceptio in gratia, & vita tota, ab omni peccato  
mortali, actuali, ac veniali libera, Virgo an-  
te, & poſt partum, corpore, & anima in Cœ-  
los aſſumpta, Regina conſtituta Angelorum,  
& hominum. *Duodecimò*, ex facilitate, quâ hæc  
ſententiã *piam* perſuademus, modiſque, ac  
vijs expeditiffimis, quibus illam defendere,  
certamque audientibus facere poſſumus. *Deci-  
motertio*, ex ſuorum ſoliditate fundamentorum,

rum, quā nullo negotio argumenta contra-  
ria resolvuntur atque diffidentur.

¶ Ex quibus vniversis, ac singulis, pronū-  
centē fuerat Cayetano, & Adversarijs cogno-  
fcere, an pietas in prima illa propositione ta-  
cta, de qua nobis est in præsenti lis, sit solū ap-  
parens, muliercularum, anilis, popularis, ac pietas, sine  
fundamento possit appellari?

¶ Sanè, meritò illud Divi Augustini  
adversarijsq; occinimus, quo lib. 1. contra Iu-  
lianum, cap. 2. sic eum est allocutus: *Non tibi,*  
*inquirebat, sicut calamiaris, solum populi murmur op-*  
*ponimus, quanquam & ipse populus aduersus vos propte-*  
*rea murmurat, quia non est talis questio, quæ possit, etiã*  
*cognitionem sugere popularem, diuites, & pauperes, ex-*  
*cellsi, atque infirmi, docti, atque indocti, mares, & femi-*  
*næ nouerunt quid cuique etati in Baptismate remitta-*  
*tur. Sic ille nos verò dicimus, quid cuique ho-*  
*minum statui, atque etati circa festum, ac cul-*  
*tum, ab ipsamet Ecclesia Romana, pro myste-*  
*rio Immaculate Conceptionis, institutum, &*  
*solemniter celebratum, sentire atque agere*  
*incumbat.*

¶ Nobis sanè pro argumento instar om-  
nium est, quod Gregorius XV. in sua Episto-  
la ad Civitatem Hispalensem data, pietatem  
hanc nostræ sententiæ pietatem solidam appellet:

nec

Nec immeritò, insolitum enim est, ac inasue-  
tum Summis Pontificibus absque solido fun-  
damento, certaque scientiã ad institutionem  
publici festi, totique Christianitati proponē-  
di procedere, vt optimè notavit P. Suarez to-  
mo 2. ad 3. p. d. 3. §. 5. cum ait: *Non esse pium cre-*  
*dere, Ecclesiam, in re tam graui decipi, aut falso niti fun-*  
*damentò. Vnde, & quando de hac pietate mentio-*  
*nem inferunt, nō aliter de illa, quàm de vera,*  
*solida, suisquè, absque formidine insistente*  
*fundamentis loquuntur, eamque, vt talē de-*  
*clarant, commendant, laudant.*

¶ Quod totum confirmatur, tum primò ad ho-  
minem contra ipsum Cayetanum, qui citato tra-  
ctatu, cap. 5. expressè fatetur Doctores (verba  
sunt illius) tenentes Beatam Virginem esse præserva-  
tam, esse numero infinitos hoc tempore. Si autem de-  
cem, aut viginti Doctores, & hi alicuius nomi-  
nis, & authoritatis opinionem faciunt proba-  
bilem, ac tutam, quo pacto non id efficient  
Doctores numero infiniti, ijdemque gravissi-  
mi, summæque authoritatis?

¶ Quid, si his insuper accedat ipsa Eccle-  
sia Romana, tot Summi Pontifices, omnes ce-  
lebriores in orbe Vniuersitates. Denique vna-  
nimis ferè omnium fidelium Catholicorum consen-  
sus, vti fit in præsenti casu, quēadmodum de-

Aa

cla-

clarat, ac testatur ipse Summus Pontifex.

¶ Nollem fanè *Cayetano*, & sequaces, de antiquorum Patrum numero, & autoritate eò usquè præsumere, quippè qui passim ab Authoribus, & ipso *Cayetano* ad exiguū reduci numerum, potius *sententiæ piæ*, quàm *opinionis contrariæ* favere probantur. Vnde illis iure reponere possemus, verba *D. Gregorij Magni* lib. 12. *moral. cap. 15.* in hunc modum loquentis: Sed, ut ea, quæ afferunt, commendent stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ professionis Magistros dicunt, cumque præsentis Prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio, falsà præsumptione gloriantur, ut ea, quæ ipsi dicunt, etiam antiquos Patres tenuisse fateantur, quatenus hoc, quod rectitudine adstruere non valent, quasi ex illorum auctoritate confirmant. Hæc *S. Gregorius*; & brevissimè *S. Augustinus* lib. 6. contra *Iulian. cap. 26.* Hisz, inquit, consociare præsumis, quorum fidem debellare conaris. Quo enim pacto, pro sua opinione stare Patres, hoc tempore affirmare præsumunt, cum ipsis, ne quidem glossare illos, hæc Bullà Pontificià permissum sit. sed de hoc plura §. 8.

¶ Confirmatur secundo, & quidem à fortiori ex dictis, ac porro dicendis infra à §. 6. & deinceps,

ceps, ubi demonstrabimus, certitudinem moralem physicam, ac Theologo-Metaphysicam nostræ sententiæ inesse, ac convenire.

¶ Confirmatur deniquè tertio, ratione speciali, seu argumento *ad hominem*, contra hos Anonymos, ac eorundem primam propositionem, superiori §. iam à nobis factam, ac formam eadem servatam, ad sensum *Cayetani*, & primæ propositionis (si fortè illi adhæreant) applicando.

¶ Quærimus igitur iterum, ex his Anonymis, an sentiendo cum *Cayetano* (nempe pietatem nostram esse solum apparentem, & verà, solidam; probabilitate destitutam) id sentiant de solo cultu, ab Ecclesia Romana, iuxta nostram pietatem, mysterio, à labe præservatæ Virginis decreto, & exhibitio? an verò solum, de ipsa sententiâ piâ? an deniquè de utroque promiscuè? & quidquid horum dixerint, falsum esse, sibi; aperte repugnans demonstrabitur.

¶ Nam, si primum, id est, si de solo cultu sic secum opinantur? (effari enim id nequaquam possunt) contra est, tum primò, totum id, quod hæctenus hoc §. in contrarium adduximus. Tum secundò, quia suprâ, parte prima §. 8. iam ostendimus. §. verò præcedenti, notabili 2. insinuavimus. Denique hæc 2. p. §. 9. ex professo pro-

baturi ſumus, dictum *cultum* iam eſſe declaratum, tanquam *Catholicum*, ſeu *Catholicè* infallibilem, ac certum, quo igitur pacto illum tu audebis appellare *apparentem* duntaxat, & *exiſtimumatum*, nulloque verò, ac *ſolido fundamento* nixum, abſque eo, quod incurrere, iure merito dicaris cęſuras, tùm Theologicas, tùm Eccleſiaſtica, mox referendas?

¶ Tùm *tertiò*, & maximè *ad hominem*, quia *per te*, & *propositionem* illam tuam primam, *cultus* omninò paris eſt *pietatis*, id eſt *veritatis*, aut *falſitatis*, cuius eſt ipſa *ſententia pia*, ergò quidquid tãdem *de cultu* ſenſeris, nõ id *de cultu* dũtaxat ſtatuerere poteris, quin id ipſũ quoque *de ipſa ſententia pia* adſtruas, ergò ſenſus hic tuus eſſe nequit *de ſolo cultu*, ni fateri velis *propositionem* illam tuam primam eſſe falſã (vti re vera eſt) & ſibimet *adverſantem*.

¶ Sed neque ſentire cùm *Cayetano* tibi licet, quod ſentire fortè te dicis *de ſola ſententia pia*. Tùm *primò*, ob argumenta, contra te facta in ſecunda prioris dilemmatis parte, quibus partim iam oſtendimus, partim infrã oſtenſuros polliciti ſumus, *ſententiam piam*, nõ ſolũ eſſe verè, ac ſolidè probabilem, & oppoſitã longè probabiliorem, verũ etiam *moraliter evidentem*, *phyſicè certã*. Imò, & *Theologo meta-*  
phy-

*phyſicè* infallibilem, ac indubitatam. Talis, credo tibi apparitura eſt *pietas* ſententię noſtrę qualem tibi exhibemus probatam, ac deinceps probandam; non *apparens* vtique, & vulgaris, vt, tu tibi *imaginaris*.

¶ Tùm *ſecundò*, & principaliter *ad hominem* contra te, & tuam *propositionem*, quã in eodem prorsus gradu *pietatis* ſtatuis *cultum*, & ipſam *ſententiam piam*, ergò ſentire non poteſ, quod ſentis cùm *Cayetano* de ſola *ſententia pia*, quin id ipſum ſentire cogaris *de cultu*, ni ad ſaniorẽ mentem reductus fatearis, aut tuam *propositionem* ſibi non conſtare, aut te non loqui *de ſola ſententia pia*.

¶ Sed dixerint *Adverſarij*, ſe id ſentire de utroque promiſcuè; Tùm contra eos militabunt omnia argumenta, quę contra duo membra præcedentia, ſeorſim conſiderata attulimus. Tùm *ſecundò ad hominem*, quia cùm *cultũ*, & *ſententiam* in eodem penitũs *veritatis*, aut *falſitatis* gradu collocant, duo graviffima abſurda incurrunt, quando quidem eo ipſo, *cultũ Catholicè* certum ad *apparentem ſuam pietatem*, ſumma cum iniuria deprimunt, & è contra *ſententiam noſtram* (per eos ſolũ *apparenter piam*) præcipitanter evehunt ad ſtatum ipſius *cultus*, nempè ad gradum *Catholicę veritatis*, atque *infa-*

infallibilitatis, quod utrumque, sicuti est falsissimum, ita est & censuris, mox pronuntiandis obnoxium. Præterea sibi repugnans, ampliusque evincens, ac probans, quam quod ipsi velint, aut nos circa gradum certitudinis sententiæ piæ prætendamus.

¶ Deniquè ad eò usquè, per suam hanc propositionem, opinioni contrariæ (asserenti Virginem Beatissimam in peccato originali conceptam) officiant, ut omnem, etiam sensum internum illi adimant, non solum contrarium cultui, verum etiam contrarium ipsi sententiæ piæ, utpotè, quàm ad statum cultus elevât, ad eò què Catholicè certam constituunt. Cùm (ut ait Canus, & Suarez infra citandi) de eo, quod Catholicè certum est, nemò pius, & verè doctus, absque errore, & ingenti temeritate dubitare audeat.

¶ Superest nunc ostèdere, quod, sequendo Cayetanum accumulent propositioni suæ ferè omnes censuras, superiùs allegatas, ultrà id, quod maneat de falsitate convicta. |

¶ Temeraria ergò meritò dicitur, quia se ex integro opponit sensui, veluti totiùs Ecclesiæ Romanæ, ac omnibus alijs tot, ac tantis Ecclesijs particularibus, Universitatibus, ac Regnis, &c.

In-

¶ Iniuriosa est quoque Summis Pontificibus, qui ad cultum, ac venerationem huius pietatis fideles adhortantur; quibus obsequentibus pariter iniuriosa est, quod eos falsi, & umbratilis cultus insimulet. Vnde, & malè sonat, & piarum est aurium offensiva.

¶ Scandalosa, non minùs est, quia pietati, quæ Ecclesia pro vera populis proponit larvam apparentis affigit.

¶ Seditiosa, quia seditiones fovet, ac animorum divisioni occasionè præbet, vel ipso referente Pontifice, ut de alijs multis malis eius qualitatibus dicere supersedeamus.

## §. III.

De Pietate probabili, cuius opposita sit magis probabilis, iuxta Harpalegum.

Tertiam pietatis acceptionem dedit nobis *Hiacynthus Harpalegus* (proprio se nomine prodere non ausus) supra p. 1. §. 5. pro quodam assensu pio, solum probabili, & quidem in ad eò humili, ac remisso pietatis gradu, ut eius oppositum, sine comparatione sit magis probabile, magisque pium, ac Religiosum. Afferit igitur, doctrinam, quæ peccatum originale B. Virgini affigit, esse magis securam, minus periculofam, ma-

gis

gis *piam, aut Religioſam, Chriſto, & Virgini magis ho-  
norificam, magis probabilem, niti que fundamentis magis  
robuſtis.*

¶ Duas, hæc *Harpalegi* acceptio, & affer-  
tio habet partes, in quarum *prima* dicitur *pie-  
tas, ſententia pia* eſſe tantum probabilis, & hoc  
quidem oppidò tenuiter. *Secunda* quà aſſeritur  
opinio contraria longè eſſe *probabilior, magisque  
pia, ac tuta.* Vtraque examinanda in præſenti  
venit, ac impugnanda.

¶ Atque ita quærimus ab his Authori-  
bus primò, num illa *pietas*, de qua ipſi in *prima*  
illa ſua proſitione loquuntur, ſit ipſa eadem-  
què, quoad vtramque partem, de qua loqui-  
tur hoc loco *Harpalegus*, eamquè extendant  
æquali paſſu, tam ad *cultum*, quàm ad *ſententiã*?  
Vel verò ad *cultum* tantum? Vel denique tantum  
ad *ſententiam*? Quæcumque verò partem am-  
plexi fuerint, apertè falſa comprobabitur,  
oſtendeturquè eorum proſitionem ſe ipſã  
deſtruere, cenſuraſque mox recensendas me-  
reri.

¶ Non enim poſſunt dicere *primum*, quòd  
nempè loquantur de vtroque, ideſt de *ſenten-  
tia*, & *cultu* promiſcuè; eo quod hæc aſſertio,  
non ſolum foret falſa, ſed & temeraria, præ-  
ſumptuoſa, iniurioſa, ſcandalofa, piarum au-  
rium

rium offeniſiva, ſeditioſa, ipſique Brevi Ponti-  
ficio, aliorumque Pontificum Conſtitutioni-  
bus, quaſi ex toto contraria.

¶ Et quidem falſam eſſe, loquendo de  
vtroque, conſtat. Primò, nam hoc pacto, tam  
*cultus*, quàm *ſententia pia* ſolum foret probabi-  
lis, cuius *ſententia* nos certitudinem moralem,  
phyſicam, & metaphyſicam infra oſtende-  
mus.

¶ Secundò, cum *pietas cultus*, iam per Bullã  
declarata ſit *Catholicè* infallibilis, iam, non pro-  
babilem duntaxat, ſed omninò certam illam  
conſequenter eſſe, ac infallibilem neceſſè eſt.

¶ Tertio, ad hominè: ſi enim, vt dictum eſt, eã ra-  
tione, *Harpalegi* placitum ſequatur, eò tãdem adi-  
guntur, vt, vel *pietate cultus* ad falceidã (quã po-  
nunt) probabilitatem ipſius *ſententia* depri-  
mant, aut *piam ſententiam* ad gradum ipſius *cul-  
tus* attollant, in primo, dicendo minus, Ponti-  
ficio, ſe diplomati opponunt; in ſecundo, ad-  
mittendo plus, ſe ipſos feriunt, adeòquè nobis  
ampliùs, quàm petimus, quàmquè ipſi velint  
concedunt.

¶ Ex quo conſequenter evadit, falſam  
quoque eſſe ſecundam partem, nempe quod  
*opinio oppoſita*, plus, quàm *pia ſententia* probabili-  
tatis habeat, vt primò clarè liquet ex his, quæ

in præſenti, & duobus ſuperioribus paragraphis attulimus; conſtabitquè ſecundò ampliùs, ex porrò dicendis, ubi ſententiam piã, & cultum, etiam metaphyſicè certum adſtruemus. Tertio evincitur ratione, quàm vocamus à priori. Quia illa ſententia eſt magis probabilis, quæ nititur melioribus, & magis fortibus principijs, tam intrinſecis, quàm extrinſecis. Sed ſententia pia nititur principijs, tam intrinſecis, quàm extrinſecis, longè fortioribus, quàm opinio contraria, ergò. De intrinſecis, ſententiã piã ſtabilientibus, diximus §. præcedenti, & videri poſſunt apud Authores paſſim. Nunc de extrinſecis.

¶ Probatur quartò. Illa ſententia principijs extrinſecis melioribus nititur, quæ pro ſe ſtantes habet plures Authores, magis graves, maiorique æſtimatione dignos, quàm illa, quæ eiufmodi non habet; ſed ſententia pia numero plures, auctoritate maiores pro ſe Authores habet, quàm contraria, & Harpalegi, ergò ſententia pia eſt magis probabilis, quàm oppoſita. Minor illa propoſitio ſola probanda eſt. Cætera enim argumenti per ſe ipſa, tam perſpicuà ſunt, vt nemini vllus præterea ſcrupulus moveri poſſit.

¶ Primò igitur ſuffragatur illius probationi

tioni Summus in terris Chriſti Vicarius, qui in Bulla ſua, omnes ferè Catholicos hanc piã ſententiam complecti atteſtatur, quod vnum ſanè teſtimonium, eò uſque luculentum, & grãde eſt, vt ad omnia Adverſariorum molimina diffiãda ſufficiat. At quia adverſorum, pertinaci obluſtatione adacti demonſtrandum ſuſcepimus ſolem, luce præditum eſſe, teſtimonia accumulare oportet, quando oculis ipſis fides abrogatur. Quò circa oſtèditur eadem minor propoſitio.

¶ Secundò, quia omnes Põtiſices à Sixto IV. in hanc uſque diem, poſitivis favoribus, & omnes reliqui Antecelliores eorum, toto eo tempore, quo Eccleſiam gubernarunt tacito ſuo conſenſu, & approbatione Fideles, hanc pietate paverunt.

¶ Tertio, tota Eccleſia Romana huic pietati iam dudum adhæſit, cum Breve Pontificum iſtam celebritatem, & cultum à ſui inſtitutione, nunquam mutatum fuiſſe in Eccleſia fateatur. Vnde ij filij, qui piã hanc ſux piæ Matris ſententiam, quocumque tempore ſequi detrectarunt, non meruere, vt ſuffragiorum ſuorũ in hac materia ratio haberetur, tametiſ alioquin Fideles permanſerint, illorum enim ar-

bitrium, à veritate, ac maiori, selectiorique parte dissentiens, Ecclesia, usque, de qua habuit, adeò què ad hanc auctoritatem extrinsecam, vel augendam, vel debilitandam, non plus momenti attulit, quàm si nunquam fuisset.

¶ *Quartò* tuentur hanc pietatem, nostræque sententiæ accedunt, Imperatores, Reges Catholici, cæterique Ecclesiæ Principes, Ecclesiastici, & Sæculares, penè vniversi.

¶ *Quintò*, omnes Prælati Ecclesiæ, uti, & Ecclesiæ particulares, quæ sequebantur, ac etiam nū sequuntur ritum, & cultum Romanæ vniversalis.

¶ *Sextò*, omnes Magistratus, ac Regnorum status.

¶ *Septimò*, omnia Regna Catholica Hispaniæ, aliaque extra illam, quæ hoc festum particulari cultu celebrant, ac venerantur.

¶ *Octauò*, huic pie sententiæ subscribunt omnes Vniuersitates Catholicæ, celebriores.

¶ *Nonò*, innumerabiles Vrbes, ac Reipublice, quæ se, specialibus votis, ad eius defensionem obligarunt.

¶ *Decimò*, in hanc sententiam piam concesserunt, omnes Sacræ Religionis, & Ordines Ecclesiæ, etiam ex ipsa Illustrissima Familia

S. Dominici, plures, sine comparatione, qui illà defenderunt, quàm qui eidem fuere contrarij.

¶ *Vndecimò*, omnes Ordines Militares stant pro eiusdem defensione.

¶ *Duodecimò*, fundatio, ac institutio Religionum, ac Confraternitatum, à Summis Pontificibus, in testimonium huius veritatis approbatarum.

¶ *Postremò* demum torrens omnium fidelium, cuiuscunque conditionis, & status, qui vnanimi sensu, ac lingua, *Immaculatam* semper benedictæ Virginis *Conceptionem* vociferantur. Cum ex altera parte, qui se huic cultui opponant per quam rarissimi sint, & vel ex ipsa Diui Dominici familia numerentur admodum rari nantes in gurgite vasto: nempè Cayetanus, Bandellus, Medina, Spina, Gravina Arpa legus, Libellatores Romani, & fortassis etiam Authores, harum, quas refutamur propositionum.

¶ Iudicet nunc, quicumque veritatis, sanctæque æquitatis amator est, an hæc nostra pia sententia in allegato testium numero, atque auctoritatis pondere contrariam superet? *Ponderanda esse vota; non numeranda nobis ogganniunt Libellatores Romani. Esto, vt volunt, damus illis, quos*

quos numerent, damus, quorum authoritatem ponderent. Sit lanx æqua, & iudicium paſſionis expers, & vltro fatebuntur, Authores *piam ſententiam* propugnantes, & superiores eſſe numero, & authoritate oppoſitis *potiores*. Quibus proinde, & nos ſubſcribimus, eorumque confortio tuti, illud *D. Auguſtini lib. 1. contra Iulianam, cap. 2.* obtrectatori reponimus: *Cernis, cum quibus mihi ſit cauſa communis, quam nulla conſideratione ſibi briã pulſare calumnijs, & expugnare conaris? Cernis, quàm mihi glorioſum ſit quodlibet crimen audire cum talibus? Et infra: Quod tenent teneo, quod docent, doceo, quod prædicant, prædico, iſtos cede, & me non cede; ſi mihi, per eos fieri amicus non vis, ſaltem peto, ne per me eorum efficiaris inimicus.*

¶ Que omnia amplius cõfirmantur, ex eo quod huic ſẽfui, originalẽ gratiã Virginis aſſeveranti, accedat ipſa vniverſalis Eccleſia, cui favet omninò, quàm ritu publico celebrat, defendit, & protegit, ad cuius ſequelam, & amplexum exhortatur, invitatur, ac movetur, indulgentias, gratias, prærogativas impertiendo. Cum vice verſa contrariam ſententiam, nullo vnquam tempore, iſtiusmodi gratiarum honore dignata ſit, quin potiùs eam coarctarit, afflixerit, ſuppreſſerit, ac poſtremis hiſ tẽporibus ad ſtrictiſſimũ ſilentij ergaſtulũ cõdemnarit.

Quis

Quis iam porro in dubium revocabit, *Harpalegi*, dictum & opinionem (maiores longe probabilitatem ſibi arrogantem) audacis, & iniqui eam iudicij ream fuiſſe.

¶ Ad ſecundam confirmationem nos manuducit Angelicus Doctor *S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1 2.* vbi ait. Eccleſiæ conſuetudines, ac authoritatem cum æmulatione Fideles ſequi oportere, eamquẽ præferre authoritati, ac iudicio, etiam *S. Auguſtini, Hieronymi, aliorumquẽ Eccleſiæ Doctorum*; & id non modò in rebus definitis ab eadem, ſed inſuper in ijs etiam, quæ quoquomodo ad fidem, pietatem, & cultum Dei pertinent, prout notat, ac advertunt omnes Authores, verba *D. Thomæ* dabimus infra §. 8. Prodeat nunc *Harpalegi*, nobiſque edifferat, nũm æquitati conformius ſit, vt Eccleſiæ cum *S. Thoma*, aut e contra ipſius iudicio ſubſcribamus, ac prænoſtrã *piã*, illius credamus ſententiam eſſe probabilioſam.

¶ Tertia confirmatio vibratur ad hominem contra *Cayetanum*, qui *3. p. q. 74. art. 3.* aſſerit, quod Theologi cum ſumma veneratione, ac obſervantia recipiãt, ac defendant, particulares quaſdam conſuetudines aliquarum Eccleſiarum (quæ tamen ad apparentiã videntur à

via



via communi, ac Regià declinare) hanc solum ob rationem quia ijs assistere Spiritus S. creditur. Et quomodo tam sui fuere immemores ex altera parte Cayetanus, atque eius Affectu, oblitique sunt eam ipsam saltem observantiam, reverentiamque deferre communi omnium Matri univèrsali Ecclesiæ, quàm particularibus detrahere, sibi Religioni duxerāt, eidemque pietati, asserendæ Immaculatæ Virginis (in quam ipsam cum potioribus suis mēbris, Spiritu Sancto eam infallibiliter gubernante, conspirare viderunt) cervices submittere?

¶ Quarta confirmatio desumetur ex ijs quæ allaturi sumus de certitudine morali, Physica, & Theologo Metaphysica, sententiæ pie applicata, quæ omninò evincēt, ut eadē nō solum magis, quàm apposita, sed simpliciter, & absolutè pia vocetur.

¶ Demum, dilemma, superius positum, & modo rursus, ac deinceps in singulis argumentis inculcandum erit, cum sit momentum infallibile, vnde totiùs veritatis pondus innotescat. Semper nempe contra Authores primæ illius propositionis instamus; si prætendant nostræ sententiæ pietatem, esse eam, quàm assignavit Harpalegus, & vrgemus eos palam edi-

edicere, an isti sententiæ pie eundem pietatis gradū attribuunt, quem ipsi cultui, iuxta mentem Harpalegi, an verò non? Si primum, detrahent ipsum cultum ad exiguam pietatem, atque evenem probabilitatem, assertam ab Harpalego; falsamque suam propositionem, temerariam, & reliquis Bullæ censuris subiectam efficiens, quæ, hunc cultum assertivè declarans, ad sublimem infallibilitatis gradū attollit: Si verò dicant alterum, fateanturque cultum, vltra omnem probabilitatem attolli (cum vtrumque in eodem gradu consistere iam semel falsi sint) necesse est, ut convicti, pariter confiteantur, sententiam piam, eundem omninò certitudinis gradum, quàm ipsum cultum ac festivitatem obtinere. Et quia censuræ hoc loco ferè eadem sunt, contra Harpalegum, quas contra Cayetanum, §. præcedenti adduximus, ab ijs repetendis libenter abstinemus.

## §. IV.

Examinatur æqualitas Pietatis, vnius, ac alterius partis.

**L**ibellatores Romani, cum alijs nonnullis, præferebant, quod Romani Pontifices, pares favores, & æqualem probabilitatem, tam

tam ſuæ opiniononi, quàm noſtræ ſententiæ at-  
tribuerint. Vti conſtat ex libello 2. num. 3. & 4.  
ac deinceps.

¶ Quo prænotato, percontamur Anony-  
mos illos Authores, circa illam propoſitionē  
primam, quam ventilamus. An ſentiant cum  
*Libellatoribus*, eſſe *piam*, ac probabilem ſenten-  
tiam, in Breui Apoſtolico laudatam, eo gradu  
*pietatis*, ac probabilitatis, quo exiſtimant eſſe  
opinionem ſuam? Si ſe retrahant ab hoc pla-  
cito, eos in hoc laudamus quidem, verumta-  
men inſiſtimus, vt aliam aſignent *pietatis* ac-  
ceptionem, noſtræ ſententiæ, in Breui Ponti-  
ficio celebratæ.

¶ Quod ſi *Libellatoribus* ſubſcribāt, oport-  
tebit, vt ſeſe declarent. An loquantur tunc, de  
*ſolo cultu*, & *feſto*? Aut de *ſola ſententia*? Aut iun-  
tim de vtroque æqualiter?

¶ De *ſolo cultu* id aſſeri non poſſe, conſtat  
ex eius declaratione, iā ſæpiùs citata, ex qua  
illius infertur infallibilitas, & certitudo Ca-  
tholica, adedque non eſt ſolum probabilis,  
vti etiam inferiùs oſtendetur §. 9.

¶ Præterquàm quod argumentum con-  
tra illos conſtruatur *ad hominem*, nam per illos  
pari paſſu, ac gradu pergunt *cultus*, ac *ſententia*  
*pia*, vnde non poſſunt loqui, de *ſolo cultu*, quin  
etiam loquantur de *ſententia*.

De-

¶ Demùm, eàdem machinà, quam antea  
admovimus, iterùm hos Anonymos premimùs,  
aut enim iam attollunt *ſententiam piam*, ad cer-  
titudinem *cultus*, aut deprimunt *cultum*, ad pro-  
babilitatem atque inferiorem conditionem  
*ſententiæ*. Vtrumque eſt æquè falſum, & mili-  
tat contra dictos Authores primæ propoſitio-  
nis, vt liquet.

¶ Quod ſi de *ſola ſententia* loquantur, ar-  
guentur ex demonstratione, quam promiſi-  
mus, oſtenſura *ſententiam piam*, non ſolum mo-  
raliter, ſed inſuper certitudine phyſicà, ac me-  
taphyſicà certam eſſe. Adde, quod de *ſola ſen-  
tentia* loqui non poſſint, ſiquidem eam in eo  
gradu, ac ipſumet *cultum* cõſtituunt, vnde quo-  
cumque ſe vertant, obſtacula reperiunt, ſuis  
ſe ipſi aſſertis iugulantes.

¶ Quod ſi porrò, vt verofiſimilius eſt, ſicu-  
ti de vno, ita loquantur de altero; tùm, ſe ip-  
ſos impugnant. *Primò*, quia demonſtraturi ſu-  
mus, tam vnum, quàm alterum, nõ ſolum eſſe  
probabile. ſed inſuper moraliter, phyſicè, ac  
metaphyſicè certum. *Secundò*, quia ſuperiùs iã  
vidimus, *cultum*, maiorem, ac ſublিমiorē cer-  
titudinem, magisque patentem, quàm ipſam  
*piam ſententiam* obtinere: igitur cum æqualita-  
te, de vtroque loqui non poſſunt. *Tertiò*, quia

Cc 2

in-

involuunt manifestam contradictionem, *sententiam*, & *cultum* in eodem gradu collocando, atque ex vna parte attollendo *sententiam*, ad dignitatem *cultus*, ex altera, *cultum* deprimendo ad *solam sententiae* probabilitatem. Cū quo eò coarctantur, vt cogantur fateri, aut dictā suam propositionem primam, esse totaliter falsam, aut sibi ipsi contradicere: vel verò, vt se in tuto collocent, elongare se debent à *Libellatorum Romanorum* circa nominatam æqualitem sensu, ac iudicio, atque ad Ecclesiæ partes transire, dictam pietatem *sententiae*, & *cultus*, nobiscum defendentis.

¶ Cū igitur ex nostra assertione constet, istam propositionem, quæ Brevis Pontificij, & nostram *pietatem*, hoc sensu cum Libellatoribus explicat, censurā dignam esse, nostrarum partium erit, id breviter quoq; ostēdere.

¶ Est enim *temeraria*, quæ æquali lance appendit hinc, totam Ecclesiam Catholicam, Vniuersitates, & Regna, illinc pauculos, & hos quidem suæ familiæ domesticos, cupitq; vtrosque in eodem æquipondio collocare: quod sine temeritate constitui diciquē non potest; maximè, si Ecclesiæ ponderi accedat ipsa *festiuitas*, *cultus*, & *favor*, ab ipsis Sum-

mis

mis Pontificibus, *pie sententiae* attributus, quibus lanx oppositæ partis omninò destituitur.

¶ *Scandalosus* insuper, meritò dicitur, quando solum nomen originalis peccati, Virgini impingēdi, horrorem, fidelibus movet, quanto magis, cū assertivè adstruitur, & cū pari, quā gaudet *pie sententia* probabilitate.

¶ *Seditiosa* est, ob causam, quā Pontifices in suis Bullis allegant. Est ob dictasiam rationes *piarum aurium offensua*. Est *iniuriosa* Pontifici, qui favere magis arguitur ei parti, quæ minus meretur, minusque habet ponderis; & tandē iniqua est omnibus Ecclesijs, Vniuersitatibus, ac Regnis, quorum vnanimis consensus, *floci* habetur.

§. V.

De Pietate, quæ absolutè est maior, quam opinionis oppositæ, attamen errori, ac deceptioni etiamnum subiecta.

**L**ibellatores, indè aliquid solatij capere videntur, quod, etsi (ipsis quidem ægrè factentibus) nostra *sententia* sit *pia*, illorumque *minus pia*, tamen nostrati, porta relinquatur aperta ad errorem, ac deceptionem, quòd omnibus placitis, solum probabilibus, commune est.

Igi-

¶ Igitur examinandus est animus Authorum, illius primæ propositionis, si fortè in eo, quod ipsi asserunt, de *pietate cultus, ac sententiæ piæ*, idem cum ipsis sentiant, aut non? Si hoc secundum? Laude, pro suo candore digni sunt, si primum, edicere illis incumbit, an is illorū sensus, ad *solum cultum*, an ad *solam sententiæ*, an ad *utrumque* equali ratione pertineat?

¶ Non possunt loqui de *cultu solo*: quia cū is infallibilis, & *Catholicè* certus declaratus sit (vt sæpius inculcavimus) non potest esse, aut dici tantum probabilis, ac errori obnoxius, vt infra amplius videbitur. Deinde instamus, argumento, ad *hominem* repetito, contra primam illorum propositionem, in qua constituunt in pari gradu probabilitatis, vel certitudinis *cultum, ac sententiæ*, atque ita non possunt asserere de solo cultu, quod sit tātū probabilis, quin hoc ipsum asserant de ipsa *sententiæ piæ*; aut falsam esse suam propositionem, sibi que ipsi repugnantem maturè cōfiteantur: Esse quippe falsam, ex dictis constat, patebitque ex dicendis; sibi contradicentem etiam, quia in eodem gradu, *cultum, & sententiæ*, ex vna parte collocant, & negant ex altera, dicentes se de *solo cultu* loqui.

¶ Quod si loquantur de *sola sententiæ*, si-

mi-

milititer falsitatis arguentur, ex demonstratione, quam asseremus, certitudinem eiusdem metaphysicam ostendentes: deinde, ex proprijs dictis vincuntur (collocando in æquali gradu *sententiæ, cū cultu*) suam propositionem, non posse esse de *vno solo*, quin sit, & de *alio*. Contradictio verò, & repugnantia, quam involuit eorum propositio, est eadem, quàm involvunt omnes aliæ, à nobis superius iam refutatae.

¶ Porrò cū in eodem valore, & pondere consistere velint *cultum, ac sententiæ piæ*, sanè quidquid vni detrahatur, detrahatur alteri, & quod huic additur, additur, & illi; quod tamē sustineri nō potest, eo quod certitudo *cultus*, sublimior longè sit, quàm *piæ sententiæ*, vt multoties diximus.

¶ Verum loquendo, ad sensum litteræ, (vt ipsi, loqui videntur) sine distinctione, de æqualitate *sententiæ piæ, & cultus*, in se ipsos arma vertunt, iisdemque se argumentis, in superioribus paragraphis allegatis perimunt, quæ singula, contra hanc propositionem eodem modo militant. Primò enim falsum est, quod *cultus* sit tātū probabilis, declaratum enim à Pontifice constat, ac vi huius declarationis est *Catholicè* certus, ac infallibilis: quo circà, ta-

met-



metſi ſolam probabilitatē admitteremus pro ſententia pia, nulla tamen ratione eandem, pro cultu admittere poſſemus, neque vtrumque in æquali gradu collocari. Secundò, quia conſtabit infra de certitudine Theologo metaphyſica ſententiæ piæ (tametſi certitudine cultus) gradu inferiori, falſitas illius propoſitionis primæ, quæ iudicio, maximè Libellatorum, ſententiam piam, & cultum limitat ad ſolam probabilitatem, licèt maiorem, aut etiam maximam, errori tamen, ac deceptionis periculo expoſitam.

¶ Cæterum, ſi ſola hæc probabilitas, etiã maxima, attributa ſententiæ piæ, cenſuram mereatur, & qualem, Theologorum erit iudicare, ex ijs, quæ à nobis dicta ſunt, & quæ afferemus infra §. 8. per totum. Nam ex altera parte, vbi cultum, ſua opinione ſolum probabiliorem adſtruunt, & in ſtatu ſoliùs probabilitatis relinquunt, alijs cenſuris digni ſunt, de quibus mentionem ſupra fecimus, cum præcellentiam cultus, præ ſententia piæ explicuimus.

§. VI.

§. VI.

Examiniatur Pietas, moraliter euidentis, ac certa.

**H** Vcviſque res nobis fuit cum Adverſarijs, partim aperto, partim occulto Marte, id eſt, tecto nomine piam, ac noſtram ſententiam oppugnantibus. Qui modò ſequuntur, amici ſunt, ijque viri graviffimi, deque ſententia pia, optimè meriti. Tam varijs quippe armis, tam què ex perrecto animo, pro eius deſenſione dimicârunt, vt videri poſſint magna ex parte campum obtinuiſſe, nihilque nobis, de prælij ſocietate feciſſe reliqui, quàm ſolam, de opinione contraria, ſpoliorum collectionem.

¶ Verùm, quia Adverſarij, relictis ſibi adhuc quantuliſcunque manubijs, gloriari poſſent, victoriã ad plenũ triumphũ nõ perveniſſe, operæ pretiũ fuerit, vt vt ſuperfluũ appareat, certaminis ſtationem relegere; ea quippe eſt temporum noſtrorum, vel incuria, vel iniquitas, vt veterum ſcriptorum dogmata complures malint ex deductis indè rivulis, quàm iſtis fontibus haurire, vndè fit, vt mente eorum neglectà, ex veritatis puritate non rarò plurimum detrahatur.

Dd

Igi-

¶ Igitur, ut ad rem veniamus, *sexta* a pietatis acceptio, prout p. 1. §. 5. diximus: *Pietatē adstruit, plusquam probabilem, moraliter nempe evidentem, ac certam.* Huius opinionis est doctissimus P. Granados tract. de Concept. V. vadingus, Penálosa, & alij.

¶ Ab his, denuò nos, ad Adversarios convertimus, inquirentes, an fortè his accedere velint, & *pietatem* (de qua ipsi loquuntur) moraliter evidentem, certamque appellare? Si subscripserint, multum illi quidem ad partes nostras accesserint, quamquam etiamnum haud parum distantes. Quippe necdum eius argumenti, sapius hactenus repetiti vim evaserunt, quod nempe, etiam cum hoc nominatorum Authorum consortio, adhuc *prima* illa sua *propositio* persistat falsa, sibi que ipsi adversetur.

¶ Fallitas elucescit *primò*, ex æquiparatione *cultus*, cum *sententia*; ex declaratione enim Brevis Apostolici, & dictis supra §. 1. *notatione* 2. concludimus, ea non posse statui in eodē gradu. *Secundò*, quia infra §. 8. probabitur, maiori certitudine, quam morali, tam *cultum*, quam *piam sententiam* certam, & evidentem esse.

¶ Quod verò *propositio* illa prima (quā falsitatis arguimus) insuper repugnet sibi ipsi, ex dicendis constabit. Probatur igitur ma-

net

net, eos, tametsi se, *Granado*, ac recēsitism odò Authoribus accomodent, tamen propter suā propositionem primam absurda, iam iam inculcata, etiam in hac sententia glutire debere.

¶ Restat ergò, ut hanc moralem, ac evidentem certitudinem negent cōvenire *pietati cultus*, ac *sententia piæ*. Et id quidem, de alterutro, vel solitariè, vel iunctim sumptis. Si id negent de solo *cultu*? Convincētur *primò* demonstratione, inferiùs adducenda, quod ultra moralem, physicam, ac metaphysicam, etiam *Catholicæ infallibilitatis certitudinē* obrineat. *Secundò*, nō possunt eam negare *cultui*, quin negent *sententiæ*, quia per ipsos stant in eodem gradu. Ex quo clara cōtra ipsos *contradictio* resultat.

¶ Quod si verò *soli sententiæ* hanc certitudinem moralem derogent, convincentur argumentis, quibus in sequentibus probabitur, eius *physica*, & *metaphysica certitudo*. *Deinde* quia, per ipsos stant in æquali gradu, *cultus*, & *sententia*, quod vni tribuunt, alteri detrahere minimè possunt, ex quo sibi ipsis oppositi, proprio se gladio convulnerant.

¶ Denique si hanc moralem certitudinē, tam *cultui*, quam *sententiæ* negent, ut eorum

Dd 2

vide-

videtur præferre propositio: impugnabitur facile hic eorum sinister sensus. *Primò*, per demonstrationem, quam sponndimus. *Secundò*, per non solū phycam, sed & metaphysicam vtriusque certitudinē, quā afferemus. *Tertiò*, quia suprà exposuimus, *cultum* esse maioris certitudinis, quā *sententiam*, hinc non poterunt eisdem in pari dignitatis gradu collocare, quin *unum*, vltra meritum attollāt, deprimāt, vltra debitum, *alterum*, adedò què vtrique iniurij, & sibi ipsis in sua propositione repugnantes sint.

¶ Certitudo verò moralis, Authorum, superius adductorum, apud ipsos inspicere posset, at, vt Lectorem benevolū minus distrahamus, argumentum vnicū, quod doctissimus P. *Granadus* ob oculos posuit, breviter adducemus. Moralise evidentia, & certitudo gignitur ex magna multitudine motivorū efficacium, cōparatione quorum vix est aliquid, quod in contrarium adduci possit, sed pro Immaculata Conceptione B. V. est adedò magna multitudo motivorum efficacium, vt cōparatione illorum vix sit aliquid, quod nostris temporibus adduci possit in contrarium, vt constat ex dictis, & infrà §. 8. dicendis: Ergò ex illis gignitur moralis evidentia, & certitudo

do sententiæ, quæ affirmat Immaculatam B. Mariæ Conceptionem. Consequentia est evidens. Maior constat, quia ad certitudinem, & evidentiam, præsertim moralem, & non Metaphysicam, non requiritur, vt nihil sit, quod in contrarium obijci possit, sic enim, cū etiā contrà evidentissima metaphysicæ principia, imò & contrà fidei dogmata occurrant sæpè argumenta, non levis momenti, si secundum se considerentur: sed satis est ingens quoddam pondus authoritatis, & rationis, cōparatione cuius leve admodum, & exigui momenti sit, quidquid adducitur in contrarium, licet alioqui secundum se suū quoque pondus haberet: id enim sufficit vt merito prudens sibi possit persuadere illud esse absque dubio verum, & clarum, iuxta modum loquendi, & sentiendi humanum. Vide *Granad. disp. 3. cap. 30. conclus. 5.*

¶ Confirmatur vltèrius, quod est summè difficile, est moraliter impossibile, sed in tanta, tamquè valida argumētorum, ac iudiciorum, pro nostra sententia stantium multitudine, falli aut decipi est summè difficile, ideòq; moraliter impossibile, & consequenter evidens est, ac certa moraliter *sententia pia.*

¶ Aut dicant nobis ipsi, si propositum



*Examiniſ Theologi.*

noſtrum diſcurſum inſcientur, quid porrò ſit moraliter certum eſſe. Sanè, ſi nos audiant, dicimus liberè, quod ſentimus, nempè nullum dogma ante definitionem finalem, in Eccleſia Catholica maiori certitudine morali hætenus ſtabilitū, nullū ſolidius firmatū eſſe. Interrogēt generationes, ſingulas Romanā, ac omnes alias Eccleſias, omnia Regna, Catholicos quaſi omnes, omnes Romanos Pontifices, univerſales Paſtores, & fatebuntur, à ſæculo non eſſe auditum, in vnam aliquam *piam ſententiam*, quàm in hanc, ante ſui definitionem, ita unanimi conſenſu ab omnibus fuiſſe fidelibus cōſpiratum. Ecquis erit porrò, tam effrons, qui eidem moralem auſit certitudinem, ac evidentiam derogare? Conſidimus de hoc perſuaſos adverſarios, nec difficulter, hanc moralem certitudinē piæ ſētētix cōceſſuros quāquā ſuis; ex caſibus non ſe expediunt, quos vltrò induerunt, cum enim vi primæ ſuæ propoſitionis, *cultum*, & *ſententiam* in eodem gradu ponant certitudinis, nec hic quoque exitum inveniunt, ſed cum Suſanna reperiunt ſe ex omni parte anguſtiatos.

§. VII.

*Examinatur Pietas phyſicè certa.*

¶ Parte prima, §. 5. diximus de *Pietatē*,  
quam

quam P. Salazar, Turrianus, & alij illam eſſe aiunt, quæ *phyſicè*, & iuxta potentiam Dei ordinariam à parte rei falſa eſſe non poteſt. Vt, redire ad vitam mortuum, non poteſt eſſe veritas *phyſica*, de potentia Dei ordinaria, tamerſi de abſoluta redire à mortuis poſſit. Eodem pacto, homo naturaliter, & *phyſicè*, non poteſt non mori, etſi de potentia Dei abſoluta à morte queat præſervari. Ita accidens, naturali, & *phyſica* veritate eſt in ſubiecto, licèt abſolutè ſine eo eſſe poſſit.

¶ Quo prænotato, redimus ad noſtrum dilēma, atque ab oppoſita parte inquiremus, an in ſua illa propoſitione nomen *pietatis* capiat iuxta præſentem ſignificationem, aut nō? Si ita, ratione eos duci gratulabimur quidē, condolentes tamen, quod neque adhuc, poſitā hanc confeſſione ſuā, ſe expedire è difficultatibus poſſint, in quas ſeſe, per primā illam ſuā propoſitionem vltrò coniecerunt, *pietatem*, ac certitudinem, tam cultus, quàm ſententiæ, falſò (*quoad nos*) in æquali gradu collocantes. At reſpondebunt utique, quod non, ſed tūm denuò ſciſcitamur, nūm illam in eſſe negent *ſoli cultui*? An verò *ſoli ſententiæ piæ*? An denique *utrique æqualiter*?

¶ Et quidem de *ſolo cultu* id inſicias ire nō pote-

poterunt, utpotè quem non solum *physicè*, sed & *metaphysicè*, imò *Catholicè* infallibilem, ac certum, deinceps, & præsertim §. 9. demonstrabimus. Deindè, cum *sententiam*, & *cultum* in eodè penitus certitudinis gradu statuunt, fit, ut, quod vni, id ipsum denegare habeant & alteri, uti iam dictum est sæpius.

¶ Quod si dictam certitudinem *soli sententia* negent, contra probabitur, primò, hic infra certitudo illius *physica*. Secùdò, paragra-pho sequenti *metaphysico-Theologica* certitudo eidem *sententia pie* attribuetur. Deniquè ter-tiò *ad hominem*, quia non possunt hoc negare de sententia sola, quin id ipsum negent de cultu, utpotè quem ponunt in eodem gradu.

¶ Si postremò utriusque hanc certitudinè denegent, proceditur contra illos demonstra-tione, supra iam posità, & ponendà inferiùs de metaphysica certitudine utriusque. Deindè, tametsi dissimularem id negari de *sententia pia*, de *cultu*, ob declarationem Pontificià, nul-latenus possumus. Denique coguntur Adversa-rij, aut elevare *sententiam* ad gradum *cultus*; aut hunc detrudere ad humilitatem *sententia*, quo-rum, tam vnum, quàm alterum falsum est, clarèque demonstrat, quod prima eorum pro-positio, non solum sit falsa, sed & præterea cõ-tradi-

traditionem, & repugnantiam in seipsa in-volvat.

¶ Superest nunc porrò probare, quod *Pietas* nostræ *sententia*, & *cultus*, gaudeat dicta certitudine *physica*, in quo, etsi Lectorem ad *P. Ferdinandum de Salazar*, tom. de *Concept. cap. 43. §. 2. & seqq.* remittere possemus, quia tamen præstat eiusmodi argumenta habere præ oculis, breviter ea prosequemur.

¶ Supponit igitur primò; Summum Pon-tificem non solum declarare posse id, quod est de *fide*, sed etiam id, quod est magis probabile, atque securum, & in hac declaratione illum non posse errare, iuxta doctrinam *Soti*, *Cani*, *Vazquez*, *Ludouici Turriani*, cum *S. Thoma*, uti & *Arrabalis*, quos citat. Qui id probant ex *Clemente vnicà*, de *Summa Trinit.* ubi *sententiam*, docentè habitus supernaturales *Fidei*, *Spei*, & *Charitatis*, infundi parvulis in Baptismo, definit Pontifex, tanquam *magis probabilem*, quæ postea definita est de *fide*, in *Concilio Tridentino*.

¶ Supponit secùdò, quod Ecclesia *sententiam piam* iam declaraverit, esse *magis piam*, *magis probabilem*, *magisque securam*, quam contrarià, eo ipso, quod festum *Immaculatæ Conceptionis* instituerit, atque officium *Divinum* de eo ordinaverit, indulgentias concesserit, alijsque

favoribus, & gratijs huic myſterio impertitis, fideles vniverſos ad hanc celebritatem frequē- tandam invitarit, perpetuumque adverſarijs ſilentium impoſuerit, ita ille §. 1.

¶ Supponit tertio, ſententiam *piam* eſſe vnam ex doctrinis, quæ attinent ad mores Chriſtianos, & partialiter ad fidem, prout in ſequenti §. oſtendemus.

¶ Supponit quarto, ex relatis Auctoribus, quod Summi Pontifices, ac Chriſti Vicarij, in rebus magni momenti, & conſiderationis, vti ſunt: inſtitutio feſtorum, canonizatio SS. approbatio Officiorum Divinorum, ac Religio- num, atque indulgentiarum elargitio, ſemper ſecuti ſint, & obligentur ſequi id, quod eſt *magis probabile, magiſque pium, ac ſecurum*: & rationem dat, quia agendo cōtrarium exponerēt ſe evi- denti labendi periculo, cum graviffima iniu- ria, ac damno fidelium, atque totius Eccleſiæ iactura, quæ in eiufmodi determinationibus ſequi, & amplecti tenetur ſui Paſtoris dire- ctionem, vt ex dicendis conſtabit.

¶ Quinto ſupponit ex communi Theolo- gorum placito, neque Eccleſiam, neque Sum- mos Pontifices, poſſe errare in inſtitutione, & exhibitione cultus Divini, ac Religioſi, itaut proponere poſſint aliquid fidelibus cultu, ac

vene-

veneratione dignum, quod re ipſa tale non ſit. Et ratio in promptu eſt, quia exhibitio talis cultus, ordinati, atque inſtituti à Sede Apoſto- lica, eſt *tacita definitio veritatis*, & ſecuritatis iſtiusmodi cultus.

¶ Supponit ſexto, non eſſe neceſſarium ad definitionem Pontificiam, atque ad eius veritatem, atque inſallibilitatem, vt motiva ad illam prævia ſint (*quoad nos*) evidentia, om- nimodè certa, & inſalibilia: ſed ſufficere, vt Pontifices moveantur rationibus ſaltem *ma- gis pijs, magis ſecuris, magiſque probabilibus*. Vti ſen- tiunt, contra aliquos, *Valentia, Canus, Vvaldenſis, Turrianus*, & complures alij horum temporū, qui videri poſſunt apud citatum Salazar cap. 43. §. 4. Ratio verò eſt, quia alioquin Ponti- fex poneret in ſtatu impoſſibilitatis definiē- di, ac declarandi multa myſteria, de quibus ante definitionem, vt plurimum habere ne- quit evidentiam, certitudinemque omnimo- dam.

¶ Septimo ſupponit iuxta *Granadam, Aegi- dium, Luſit. Pennalofam*, & alios, varios eſſe certi- tudinis gradus, rerum, ac definitionum (*quoad nos*) conformiter ſcilicet ad intentionem Ec- cleſiæ, maiorem, vel minorem vim iſdem in ſuis definitionibus, ac declarationibus attri-

Ec 2 buen-

buentis, iuxta dicta supr. part. 1. §. 7.

¶ Quibus præsuppositis assertionē suam probat Salazar dicto §. 4. in hūc modum loquutus: Ex præmissa doctrina (inquit) quam tantæ auctoritatis Theologus, & Magister meus inter eos, quos ætas nostra superstites habet, nulli secundus, tradit, facilis, atque expedita sese aperit nobis via, ad defendendam maiorem certitudinem piæ sententiæ: Ex ea enim probabili consecutione deducere fas est, dictam sententiam hodiè ad eum certitudinis gradum adductam fuisse, vt non tantum moraliter, sed etiam *physicè*, & à parte rei non possit esse falsa. Quia ex dictis in §. 1. liquidò constat, Pontifices Summos per institutionem facti, approbationem officij, & alia, quæ in puræ Conceptionis favorem hætenus gesserunt, omninò declarasse, ac definiisse, *piam sententiam esse probabiliorē, ac tutiorē*: Sed Pontifex declarans opinionem aliquam esse magis probabilem, circà veritatem illius errare nequit, nec fieri potest, vt quod ipse probabilius esse decrevit, falsum sit à parte rei ergo per dictam declarationem, & definitionem *maioris probabilitatis*, consequenter effectum est, vt *piæ sententiæ*, ita vera sit hodiè, vt illi falsitas subesse nullomodo possit, quamvis ad fidem non pertineat, & alio-

quin Ecclesia eos, qui oppositum sentiunt, hætenus sustineat.

¶ Ad confirmationem autem huius doctrinæ accedit, quia specialis illa ratio (quæ inductus est noster Turrianus, vt serio affirmaret Pontificem in ea definitione ab errare nō posse) in hac doctrina præcipuè locum habet: vt potè, quæ ex illis est, quæ partim ad mores pertinent, partim fidem concernunt. Nam quatenus ex ea fit, vt tota Ecclesia *Conceptionem Virginis*, tanquam sanctam, & ab omni forde permundam colat, & veneretur, ad mores spectat: quatenus verò in causa est, vt Theologi ad eam defendendam de originalis peccati transfusione, de occasione Incarnationis Christi, & de alijs gravissimis dogmatibus aliter, atque aliter sentiant, ad fidem vtique pertinet. Quapropter si Pontifex *declarans*, ac *decernens*, eam esse *magis probabilem*, errare potuisset, & possibili ad effectum perducto, re ipsa, & de facto aberrasset, maximam certè, tam in moribus, quam etiam in his, quæ ad fidem attinent doctrinis, errandi occasionem, & aniam omnibus fidelibus obtulisset, qui eam doctrinam, quam ipse *magis probabilem esse declaravit*, ne à capite suo dissentiant, oppositæ præferentes, in veneratione rei non sanctæ, atque

in aſſenſu, tã huius dogmatis, quam aliorum, quã ab ipſo pendent, & cum ipſo coherent, errores plurimos hætenus ebibiſſent. Indeque fieret id (quod nunquam non vitari, & declinari debet) non ſolum maiorem, ſed etiam longè maximam Eccleſiæ partem in aſſenſu pluriũ dogmatum deluſam, & deceptã fuiſſe. Hætenus eruditus Salazarius.

¶ Et hæ probationes adeò videntur efficaces, ac nervoſæ, vt non ſolum in lucem protrahant veritatem *phyſicam* ſententiæ *piæ*, ſed etiam *metaphyſicam*, vt videbitur §. ſequenti. Idque propter infalibilitatem aſſiſtentiæ Spiritus Sancti declarationes Pontificias dirigẽtis, ac veluti manutenentis.

## §. VIII.

*Examinatur Pietas Theologo-Metaphyſica.*

**H**IC demum eſt ille locus, quo multo ties ante hac benevolam lectorem remiſimus, & deinceps iteratò remiſſuri ſumus, vtpotè in quo tractabitur de octava illa pietatis acceptione, veritate, ac certitudinis gradu, ad quem feliciter iam aſcendiſſe videmus, atque aſſerimus *ſententiam piã*, Eccleſiæ, ferè omnium Catholicorum, & noſtram, quã meri-

meritò *pietatem Theologo-Metaphyſicam* nũcupamus, quod ſit in materia Theologica, & ex locis Theologicis deducti, adeòque Theologo-Metaphyſicè vera, infalibilis, ac certa, licet nondũ de fide definita.

¶ Illam porrò in hæc verba deſcribit; pereruditus Aegidius Luſitanus lib. 3. de præſervatione Virginis, quæſt. 6. artic. 1. §. 10. nu. 88. vbi ſic habet. In veritatibus (inquit) etiam eiufdem generis (quales ſunt, quæ aliquo modo ad fidem pertinent) plures dantur certitudinis gradus, ita ſe habentes, vt vnus ſit altioris certitudinis, quam alter, quod evidenter patet ex diverſis gradibus veritatis, quos Theologi diſtinguunt in propoſitionibus ad fidem pertinentibus: in his enim, quædam eſt veritas fidei ab Eccleſia definita, quæ ita eſt certa, vt oppoſita ſit falſitas hæretica, de qua nos §. 10. Alia eſt veritas proxima fidei; quæ ita eſt certa, vt oppoſitum, licet formaliter nõ ſit hæreticum, ſit tamen hæreſi proximum, de qua §. ſequenti. Alia veritas dicitur veritas *cõſentanea* fidei, & *in ſe* pia, cuius oppoſitum *in ſe* eſt temerarium, periculoſum, & non fatiſpium in fide. Hæc ibi; & mox numero ſequenti 89. Differentiam horum graduum amplius declarans ſic habet.

¶ Inter hos gradus ſupernaturalis veri-  
tatis hoc intereſt; quod veritas primi generis  
traditur ab Eccleſia tanquam prima regula,  
in materia fidei: vnde eſt veritas ad ſalutem  
neceſſaria; quia omnes fideles tenentur expli-  
cite, vel implicite illam credere; & ideò op-  
poſitum, non ſolum ſimpliciter damnatur, vt  
hæreticum, ſed etiam punitur excommuni-  
catione, & alijs pœnis: & ob hanc rationem  
aliæ ſupernaturales veritates ab hac, tamquã  
à prima regula, regulantur; itaut quò magis  
ad eam accedunt, eò magis ſint à fidelibus cre-  
dendæ. Veritas autem ſecundæ ſpeciei, cum  
proximè ad primam regulam accedat, ita  
certa eſt, vt oppoſitum ſimpliciter ſit error in  
fide, & hæreſi proximum: & quamvis ab Eccle-  
ſia excõmunicatione non puniatur, nõ permit-  
titur tamẽ ab aliquo affirmari. Veritas porrò  
tertiæ ſpeciei (de qua hic loci agimus ſub qua  
plures continentur) habet quidem certitudi-  
nem, cum ſit *fidei conſona*; non tamen ita eviden-  
ter, vt oppoſitum ſimpliciter non toleretur,  
vt ſatis ſignificat Cordubenſ. lib. 1. quæſt. 17.  
pag. 150. col. 2. §. mihi verò: & inde eſt, vt af-  
ſertio oppoſita, quamvis cenſeatur falſa, ob  
aliquas tamen iuſtas circumſtantias ſimplici-  
ter non prohibeatur, ſed ſervatis conditioni-  
bus

bus permittatur. Hoc autem non ſatis eſt, vt  
talis veritas intra terminos probabilitatis in-  
cludatur, & ſit eius naturæ, vt falſitas illi, non  
repugnet: nam cum aliquo modo ad fidem  
pertineat, nec cognoſci valeat lumine natura-  
li, ſed ſolo ſupernaturali; talis veritas ita eſt  
certa, vt falſa eſſe non poſſit.

¶ Denique num. 90, ſapienter concludit,  
ex quibus (inquit) inferitur non ſolum eſſe in-  
fallibiliter vera, quæ ab Eccleſia diffiniuntur  
*de fide*, & vt ſimpliciter credenda fidelibus pro-  
ponuntur, ſed etiam ea, quæ abſque *fidei defini-  
tione*, ab Eccleſia iudicantur, aut *fidei proxima*,  
aut illi maximè *conſona*, vt iam ſupra adverti-  
mus q. 2. art. 1. num. 14. nam (vt ibi diceba-  
mus) hæc eſt fidei excellentia, vt non ſolum  
nihil falſi poſſit definire *tanquam de fide*; ſed nec  
poſſit alicui falſo adhærere *ſub ratione fidei*, &  
ſub ordine ad illam; quoniam ad hæc omnia  
habet Spiritus Sancti aſſiſtentiam, maximè  
ad ea, quæ pertinent ad Divinum Cultum, vir-  
tutemque Religionis, vt ſupra oſtendimus.  
Hæc ibi.

¶ Porrò hanc, de qua hic loci agimus  
eſſe pietatem, & veritatem ſupernatura-  
lem, ac ad fidem aliquo modo ſpectantem, idẽ  
Auctor patenter oſtendit loco citato, num.

87. & 94. vbi ait duo esse genera pietatis, alteram naturalem, & solum probabilem, & quæ ex natura sua à se falsitatem nõ excludat, cuiusmodi est illa, qui gravissimi Auctores existimant Beatissimam Virginem, in via divinæ essentiam vidisse, quæ pietas ad fidem non pertinet, quia (inquit) non desumitur ex aliquo principio infallibili. Secus verò (ait) dicendū est de pietate generis posterioris, qualis est, quæ ex aliquo principio infallibili, ad fidem aliquo modo pertinente desumitur, sicut est autoritas Ecclesie in illis, quæ ad cultum divinum spectant: cum enim fidei sit maximè consonum Ecclesiam in his errare non posse, utique talis pietas aliquo modo pertinet ad fidem. Et huius generis est pietas, quæ credimus Beatam Virginem sine originali peccato fuisse natam, & sanctificatā in utero; præsentatam in Templo; denique in corpore, & anima in Cælum fuisse assumptā: hæc enim privilegia illi fuisse concessa, piè credimus pietate ad fidem pertinente, ex eo præcisè, quia ab Ecclesia solemniter coluntur: & ducta Spiritus Sancti celebrantur, ad gratias, & laudes Deo reddendas. Hæc Aegydius, quæ hoc tempore sequuntur Theologi ferè omnes, & nos in præsentiarum idem §§. sequentibus stabilire nitentur. Et licet in hunc finem nobis

nobis vindicare potuissimus omnia ea argumenta, & rationes, sanè efficacissimas, ab auctoribus sententiam piam constanter propugnantibus passim allatas, nihilominus tamen, quia eas copiosissimè subministrat Bulla Pontificia, illi soli inherere statuimus, arma robustissima, & invictissima inde deprompturi.

¶ Exploratum est commune illud, ac receptissimum Sanctorum PP. Doctorum, & Theologorum axioma, sæpissimè usurpatum à Divo Thoma, præsertim verò p. 3. q. 27. art. 1. & alijs, quod nimirum Ecclesia publico, ac solemniter festum non celebret, nisi de re, persona, aut mysterio verè, ac re ipsa sancto. Cum igitur ex nuper expedito SS. D. N. Alexandri Septimi diplomate apertissimè cõstet, quod Sancta Romana Ecclesia Conceptionem naturalem, seu creationem animæ Deiparæ Virginis, eiusque immunitatē à macula peccati originalis solemniter, & publicè celebret, & hoc ipsum constanter, & in terminis asseratur à sententia piæ, cultum hunc, & pietatem hanc, pro aris, & focis tuente, manifestè sequitur sententiam piam, uti & ipsam Conceptionis sanctitatem esse re ipsa verā, & Theologo-Metaphysicè infallibilem, ac certam. Maior extra omne dubium est. Minor verò evidens, evidentia facti, & Pon-

tificiæ dec' arationis, denique consequentia est legitima. Tametsi porrò hoc vnum sufficere possit argumentum ad evincendum nostrum assertum. Amplioris tamen doctrinæ gratia, hæc alia iudicamus eidem apponenda.

¶ Probatur igitur secundò, quia nequit Ecclesia Romana, aut Summus Pontifex à verò aberrare in omni eo quod attinet ad fidem, Dei cultum, & pietatem Christianam, vt docet communis Theologia. Erraret autem manifestè Ecclesia si obiectum alicuius sacri cultus ab ipsa instituti à parte rei possit esse falsum, aut errori subiectum, vt per se liquet. Coleret enim pro vero falsum, & rem non sanctã, sacroque cultu indignã pro sancta, cultu plane vano, ac superstitioso, quod est impossibile cum Ecclesia sit firmamentum, & columna veritatis, & vt habetur in decreto 24. q. 1. Cap. in Sede Apostolica, extra maculam semper sit Catholica seruata Religio. Ergò sententia pia, quæ idem sibi obiectũ (quod Sancta Romana Ecclesia colit, & colendum proponit, imò, & præcipit) firmiter tuendum suscepit, à parte rei falsa, aut errori subiecta esse non potest, adeòque est Theologo-Metaphysicè infallibilis, ac certa, & huiusvi argumenti pressus Bandellus, rat. 10. & 11. Eam declinare volens, ausus est dicere obiectũ insti-

instituti festi non potuisse, nec posse esse Conceptionem naturalem, seu præseruationem Beatissimæ Virginis (cuius assertionem ipse vocabatur hæreticam, prophanam, impiam, &c.) adeòque illius obiectum esse, ac dici oportere solam Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem, quod tamen Bandelli assertum damnavit, vt falsũ, & erroneũ, Sixtus Quartus. Similiter libellatores Romani eandem huius argumenti vim agnoscentes, & alia ratione declamare non valentes, dixere, sed fasò, hanc vocem Conceptio indifferentem significare tum præseruationem, tum sanctificationem, & à piè sentientibus quidem illam, hanc verò celebrari à Dominicanis, eo nimis, vt hoc effugio indemne saluarent principium illud, quod Ecclesia non possit celebrare, nisi sanctitatem certam, ac indubitatam. Vnde addunt libello 2. num. 17. qui aliter (inquiunt) dixerint, videant, quomodo hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.

¶ Probatur tertio, paritate festi Natiuitatis eiusdem gloriosæ Virginis in, & ab Romana Ecclesia celebrati, ex quo, tanquam à principio certo (licet nondum adhuc de fide definito) inferunt cum S. Augustino, Leone, Ildephonso, Bernardo, S. Thomas, cæteri Theo-

Theologi, imò, & ipſi libellatores Romani, vt vidimus, Beatiff. Virginis Nativitatē extitiffe ſāctam infallibiliter: ergò eodem modo inferri debet, ex feſto publico, ac ſolemni, quod celebrat, diuque ante celebravit Eccleſia, certitudo, ac infallibilitas Theologo-Metaphyſica præſervationis B. Virg. in primo inſtanti à labe originis, ipſuſque ſententiæ piæ, eandem aſſerentis, ac defendentis.

¶ Probat̄ quartò, ex verbis S. D. N. Alexandri VII. quibus tanquam principio certo ſe permotū ait, ad ſtatuendum id totū, quod in Bulla continetur: nempe quod Eccleſia Romana publice, & ſolemniſter celebret præſervationem Virginis. Nos, inquit, conſiderantes, quod S. Romana Eccleſia, de intemerata ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniſter celebrat, &c. Innovamus, &c. Motivo nimirum quo ſimiliter inductus olim, nixuſque fuit Sixtus IV. ad condemnandas quaſdam propoſitiones, contra Deiparæ Virginis præſervationem, à Bandello, & alijs ſparſas, vt in eiufdem Extravagantibus amplius videre eſt, quas noſter Pontifex veneratus, ac imitatus, innovat, atque declarat. Cum igitur inter alia innovata, & declarata ſit obiectum feſtivi cultus, ab Eccleſia, ſecundum piam ſententiam delati,

nem,

nempe gratia primi inſtantis, ſeu præſervatio Virginis, conſequens eſt, tam hanc, quam ſententiā piā eſſe infallibilem, ac certā. Atque hæc veritas adeò ſublimem gradum merebatur olim apud Bandellum, vt in ratione 10. affirmare ſit auſus, Decreta Pontificum in rebus iuris poſitivi præferenda eſſe, ac præferri omniam S. S. ſententijs, ipſiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis. Vbi, tametsi exceſſerit quoad ſecundam ſui dicti partem, quoad primam tamen, in qua citat S. Thom. quodlib. 4. q. 8. art. 2. & in 4. ſentent. diſtinct. 28. artic. vltim. apertè, & verè demonſtrat huius infallibilis certitudinis ſublimitatē, quam obtinet Conſtitutio, ſeu decretum Pontificium, in omni eo quod eſt iuris poſitivi, ſicut eſt Feſtorum inſtitutio, ac veritas ſententiæ piæ inde deducta.

¶ Quintò probatur ex communi doctrina Theologorum à P. Suarez grauiſſimè explicata, tom. de fid. diſp. 8. in qua oſtenditur Eccleſiam, & Pontifices non poſſe errare circa præcepta poſita ad gubernandas conſciētias, ac Fidelium mores, adeo vt S. Antoninus dicat contrarium eſſe hæreticum. Canus vero Molina, & alij, parum ab hæreſi diſtare. Cum igitur cultus publicus, ipſaque ſententiā piā,

du.

dubio procul pertineant ad probos Fidelium mores, atque Eccleſiæ regimen, vt probant Granadus, Salazar, Eusebius cum alijs Theologis. Ergo eſt impoſſibile Metaphyſicè, cultū huic atque ſententiam piam falſam eſſe poſſe.

¶ Sextò, aliam, nec minus efficacem probationem eliciunt Theologi ex canonizatione, ac beatificatione Sanctorum, in qua conveniunt Pontificem errare non poſſe, nempe canonizando perſonam, aut myſterium cultu, ac veneratione Religioſa indignum. Sed ſolemni feſti Immaculatæ Conceptionis inſtitutio, & publica auctoritate, ex mandato Pontificis exhibita celebratio, eſt quædam realis canonizatio, aut ad minimum illi æquivalens, vt docent Suarez, Ægydius, F. Franciſcus à S. Ioseph, & alij ab ipsis citati ( de quo nos for- tẽ alibi opuſculo particulari) ergo tam præſervatio, quam ſentẽtia pia illam aſſerens certa eſt Metaphyſicè.

¶ Septimò, aſſerti noſtri probatio ſumitur ex approbatione Religioſorum inſtitutorum, quæ declarantur vt ſancta, & vt via Evangelica, ad conſequendum finem perfectionis, ac ſanctitatis: in quo negotio ſimiliter non eſt poſſibile errare Pontificem, vti docet

Theoſ

Theologi omnes, contra Canum, & Caietanum: nam alioquin mōſtraret, approbaret, ac proponeret Fidelibus viam, non ad ſalutem, ſed potius ad eorum perditionem. Sed Pontifices Iulius II. Alexand. VI. & alij, approbarunt Religiones, dedicatas venerationi, ac cultui Immaculatæ Conceptionis, hoc nomine (inquit Alexander VII.) tanquam tramitem ad ſanctitatem, ac perfectionem: Ergo impoſſibile eſt hanc ſententiam eſſe falſam, ergo eſt Theologo- Metaphyſicè certa. Nimis acrem ſenſerunt libellatores Romani huius argumenti vim, ideòque contumaciter illud inſiciatur, libell. 2 num. 2. reſpondetque (licet falſò) non factã eſſe Religioſorum illorum Ordinum approbationem ad præſervationis cultum, aut pro- teſtationem; nimirum, effugium aliud non repererunt ad infallibilitatem huius, quæ incẽ inferebatur, veritatis declinandam.

¶ Octavum argumentum deſumitur itidem ex teſtimonio S. D. N. Alexandri VII. qui ſecuros nos reddit, hanc feſtivitatem eſſe de antiqua conſuetudine Fidelium, & Eccleſiæ, quæ ſignatè in hac acceptione præſervationis id ſemper celebraverit: *Vetus eſt*, inquit, *Chriſti Fidelium erga B. V. pietas ſentientium, eius animam in primo inſtanti creationis, &c. atque in hoc ſenſu*

Gg

eius

eius Conceptionis feſtum ſolemni ritu colentium, ac celebrantium. Et quemadmodum hinc conſtat exhibitum hunc cultum fuiſſe videntibus, ac conſcijs Pontificibus, per totam illam ſæculorum ætatem Eccleſiam gubernantibus, ita quoque intelligi debet id totum cum eorundem approbatione, ac conſenſu, vel tacito, vel expreſſo, effectum fuiſſe, uti ſuo loco ex communi Theologorum ſententia oſtendemus. Vnde ſi ipſi hunc cultum, hancque celebritatem, ac ſententiam pro vera non habuiſſent, utique conſciētix, officijque ratione obſtricti, Fideles eidem adhærere minimè ſuſtinuiſſent. Ergo metaphyſicè impoſſibile eſt, poſſe eſſe falſam hanc ſententiam de præſervatione Virginis, tot ſæculis venerationi propoſitam, ac celebratam.

¶ Confirmatur hac ratio authoritate D. Thomæ, qui non eſt auſus damnare conſuetudinem vnus particularis Eccleſiæ Lugdunenſis in Gallia, feſtum Conceptionis (& quidem non naturalis, ſed materialis) celebrantis, vel ex conduntaxat, quia videbat hoc ab Romanis Pontificibus tolerari, ac civitate donari. Igitur ſine comparatione plus habere debet authoritatis, ac certitudinis, aliqua feſtivitàs Eccleſiarum particularium, penè innumerabilium,

Conceptionem naturalem Deiparæ Virginis colentium, in ipſis Pontificum oculis palam ſemper ac ſolemniſter celebrata. Ex quo ſequitur, nõ vnus ſolum alteriusvè Põtificis approbationem pro hoc feſto ſtare, ſed planè omnium, qui fuère retrõactis temporibus, quo laudabilis hæc fidelium conſuetudo duravit, quam tanti in præſenti ſua Bulla facit Summus Põtifex, quamque è contrario olim Bandellus, & poſtea Gravina, Romanique libellatores tâ pertinaciter negarunt, probè advertentes eã admiſſã actum omninò de ſua opinione fore, ſeque ab infallibili huius myſterij, & ſententiæ piæ veritate, falſæ ſuæ aſſertionis inevitabiliter convictum iri.

¶ Nonum argumentum deſumunt omnes ex ſacrificio Miſſæ, Divinoque Officio, à Sixto IV. ordinato, ac inſtituto pro tota Eccleſia, Romanique Breviarijs, ac Miſſalibus inſerto; quod ſanè huius cultus, ac ſententiæ proteſtatio eſt eiſque irrefragabilis certitudinis infallibile argumentum. Id quod Gravina, & alij tantæ reputant efficacix, ad probãda, certò impreſſa fuiſſe Chriſti vulnera in corpore S. Catharinæ Senenſis, ut ſufficientia verba non reperiant, quibus commotum animum expromant contra eos, qui id auſi ſunt

inſiciari. Quod ſi officium ad venerationem illius ſanctæ inſtitutum, in cuius lectionibus hiſtorialibus aliqua fit mentio ſacrarum eiufmodi plagarum, & hoc quidem ex relatione folius illius Virginis Confeſſarij Fr. Raymundi, hanc ſacrorum ſtigmatum impreſſionem ad eò certam reddit, ac inſallibilem: Deum bona nullo pacto officium ab Eccleſia inſtitutum, ad ſolan Virginis, ab originali labe præſervationem totum ſpectans, quodque antiquitate, authoritate, ac vniuerſalitate alterum longis parantangis antecellit, non multò potiori iure eius inſallibilitatem, ac certitudinem concludet? Ergo ex dicta officij, cultus, ac venerationis inſtitutione, certa eſt, ac inſallibilis tam Immaculata Conceptio Matris Virginis, quam ſententia pia, quæ illam adſtruit, & ſecundum quam, teſte Pontifice, illud fuit ordinatum, atque inſtitutum.

¶ Hoc argumento tam palpabili in arctum ſe redigi advertentes Romani libellatores, non poterant reperire alium exitum, quam obductis oculis negare (libell. 2. nu. 7) id officium, gratiâ immaculatæ Conceptionis inſtitutum eſſe. Illudque Nogueroſi, quod confirmat in hac Bulla Pontifex, reprobare; dicereque poſt Bullam Gregorij XV. eo vti

in

in Eccleſia illicitum eſſe. Non minorem lapſam affigentes ei, quod recitat Religio Seraphica, id nempe num. 12. criminantur eſſe illegitimum, nec à Pontifice, aut Eccleſia approbatum, aliaque eiufmodi occinunt à veritate, rectoque diſcurſu penitus aliena, vt prolixius videre eſt in Armamentario Seraphico, & Illuſtris. D. Antonio Calderonio, Apologia pro titulo Immaculatæ. Interim verò hinc apertè colligitur, quam evidens, ex inſtitutione Officij Divini huius veritatis ratio eliciatur, cui cum tanto conatu, ac pertinacia reſiſtant adverſarij, contra quàm ſua ſanctitas Alexand. VII. in ſua Bulla atteſtatur.

¶ Decimum argumentum ſuggerit nobis idem Summus Pontifex, in hac eadem admirabili ſua Conſtitutione, vbi inquit: Quod ad hanc ipſam venerationem, & cultum augmentandum, Fidelesque incitandos ad celebritatem huius myſterij devotiùs obeundam, Pontifices diverſi, ex Theſauro Eccleſiæ còplures indulgentias, & gratias elargiti ſint. Sed hunc Eccleſiæ Theſaurum Pontifex, Summus in terris Chriſti œconomus, nec perperam diſpensare, nec quaſlibet ab cauſas dilapidare poteſt (vt conſentiunt Theologi, & cū ijs Bandellus ratione 11.) multò minùs eundè,

ob

ob venerationem rei alicuius falſæ, ſuperſticioſæ, ac Maieſtati Pontificiæ omninò indignæ diſtribuere, ergò de primo ad vltimum impoſſibile eſt poſſe eſſe falſam ſententiam piã, & gratiam originaleſ Beat. Virginis, cuius venerationi, ac celebritati, tot, tantique Pontifices indulgentias, etiam Bullis ſtabilitas, elargiti ſunt, eaſque per S. Tridentin. Concilium (quales fuere Sixti IV.) confirmatas. Falſò autem aduerſarij negant, illas conſeſſas fuiſſe, officium *Immaculatæ Conceptionis* celebrãtibuſ, ſed duntaxat gratias Deo agentibuſ, ob ſanctificationem, poſt peccatum factam. Falſò etiam, qui horum veſtigia ſequuntur libellatores Romani, qui hoc argumentum vocant argumentum decantatum, lib. 2. num. 22. negantque diſtributas eſſe venerationi gratiæ originalis Virginis dictis indulgentias, ſed pietati Fidelium, quos tamen Bulla Pontificia abundè ſatis, aperteque refellit.

¶ Undecimum argumentum deſumitur ex communi, ac vniuerſali ferè omnium Fidelium conſenſu, in quem conſpirant, vt loquitur, ac declarat in ſuo diplomate Pontifex, *ferè omnes Catholici*, qui, ſi quando cum Episcopis conſpirant, non poſſunt in materia ad fidem, ac Religionem pertinente à vero ab-

aberrare, vt docet Theologi. Et ratio in propoſitu eſt, quia hoc ad ſupremã Dei providentiam pertinet, non permittentis tot, ac tantos errori, ac fallaciæ implicari, circa ſui, ac aliorum Sanctorum venerationem, & cultum. Igitur ſententia pia, communi huic fidelium populorum conſenſui innixa, nequit eſſe falſa, ac proinde erit Theologo-Metaphyſicè infallibilis, ac certa:

¶ Huic argumento, quid reſponderent Romani libellatores, nõ invenerunt, niſi quod num. 34. libel. 2. identidem ingererent: *Vniuerſitatum, Doctorum, aliorumque opinantium obijeitur multitudo ſed vota ponderanda ſunt, non numeranda, nec populorum conſenſus definitiones fidei facit.* In quo ſane aperte commonſtrant, quam parvipendunt vniuerſalem ſenſum omnium Catholicorum, quorum ipſi ſe ponderatores conſtituunt: Licet enim iſ ſecundum ſe, & formaliter definitiones non faciat, ad illas tamen proximè diſponit, ac rem deſinibilem, adeoque revelatam eſſe arguit, vt alibi cum communi Theologorum oſtendemus, vnde negari non poteſt, in eoveritatè infallibilè contineri, illius, quod ſic vnanimi conſpiratione colit, ac veneratur:

¶ Duodecimum argumentum ſuggerit quor-

quoque Pontifex, cum ait: *Dictam pietatem* laudat, fectam, protectam, propagatam, atque commendatam à Summis Pontificibus suis Antecessoribus, & quos ipsos imitari, animus illius voluntasque sit: *Volentesque favere huic pietati, eamque tueri.* Sed sic est, quod falsum esse nequeat id quod Pontifices in materia pietatis, ac Religionis suà commendatione, favore, laudeque prosequuntur, ac student in Fidelium animis altè imprimere, ac implantare, ergo res est Metaphysicè impossibilis, vt sententia pia tam commendata, fecta, protecta, ac defensa à Summis Pontificibus, possit esse falsa. Secus enim iam à Romano Pontifice, Spiritus Sancti assistentiam habente deciperentur Fideles, errore adedè enormi, ac præiudiciali, quo lauderetur vituperabile, commendaretur impium, foveretur mendacium, & nomine tituloque pietatis, Religionis, ac cultus eiusmodi deceptio indignè decoraretur. Et hanc ob rem Bandellus cum libellatoribus, constanter, licèt falsò, negarunt fuisse eam intentionem Põtificum, sed potius contrariam, vt constat à num. 25. secundi libelli.

¶ Decimum tertium argumentum ex iisdem Constitutionibus Pontificijs eruitur, in quibus vocat nostram sententiam, *deuotionem,*

Reli-

*Religionem, ac pietatem laude dignam, vt & officium* à Sixto IV. institutum: *Iuxta piam, inquit, laudabilem, & deuotam institutionem,* quod etiam in sua Bulla Sixtus dixerat, vt ita in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum. Atqui impossibile est, vt Pontifices seriò, & ex Cathedra laudent aliquem cultum publicum, declarando eundem pro virtute pietatis, ac laudabilis deuotionis, si talis nõ existeret, quandoquidem enormi errore sic Ecclesie, Fidelibusque imponeretur, eique deesse Spiritus Sancti assistentia argui posset, quam tamè illi particulariter assistere, in rebus pietatis, ac Religionis, tanquam in rebus ad fidem pertinentibus vndequaque est certissimum. Ergo impossibile quoque est hunc cultum, atque hanc sententiam posse esse falsam, ac per consequens gradu certitudinis Metaphysicæ posse destitui, quam sanè meritò attribuit Fr. Ioannes de S. Thoma omni illi, quod Pontifex vt bonum, ac pium declarat,

¶ Quartumdecimum argumentum suggerit nobis Pontifex, dando amplum testimonium de mirifico augmento, ac incremento huius pietatis (*creuitque, ait, horum pietas, & numerus id quod prorsus singulari cum animi sui gaudio recenset, & allegat, tanquam mo-*

Hh

tis

tivum innovationis, declarationis, ac novæ dispositionis præſenti Bulla à ſe patefactæ. Quod ſane publica, ac univèrſali Conſtitutione Pontifex manifèſtare non poſſet, abſque conſcientiæ ſux, à Spiritu Sancto in hiſ caſibus dirigi conſuetæ, offentione, ſi falſa eſſet, aut errori affinis ſententia pia, feſtivalique cultus, ſecundum illam delatus. Vnde nemo negare poterit illam eſſe Metaphyſicè certam.

¶ Decimum quintum argumentum, eadem nobis Pontificia Bulla ſuppeditat, ſicut & teſtimonium libellatorum Romanorum, lib. 2. num. 17. afferentium, fixam, ac perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem eſſe non celebrandi, nempe feſtivali celebriate, niſi ſanctitatem indubitatam, ac certam: Et ex hoc capite S. Thomam, S. Ildephoſum, & S. Bernardum concludere ſanctitatem Nativitatis Beatiffimæ Virginis ab Eccleſia celebratæ certam, ac infallibilem eſſe. Afferit autem Pontifex, quod Sancta Romana Eccleſia ſolemni, ac publico cultu celebrat gratiam originalem Beatiffimæ Virginis, ergo ſimiliter hæc gratia, vti & ſententia pia illam affirmas, non poteſt non eſſe certa, & indubitata, omniſque expers erroris, ac deceptionis, adeoq;  
erit.

erit Metaphyſicè infallibilis, ac certa.

¶ Decimum ſextum de novo ex Bulla Sanctiff. Dñi N. Alexandri VII. delumimus, ubi affirmat Pontifex, ſacrum cultum ab Eccleſia deferri gratiæ præſervationis pro primo instanti. *Secundum ſententiam piam*, inquit: quibus verbis, & ipſi Authores primæ propoſitionis utuntur, ſed inſigni cum aſtutia, & æquivocatione, ad deprimendum ſcilicet cultum, eumque ad ſententiæ fallibilitatem (quæ ſibi falſò imaginantur) à ſua certitudine detrahendum. Hanc enim ob cauſam valunt, eodemque paſſu incedere aiunt cultum, ac ſententiam, cum vice verſa potius deberēt ſententiam piam ad gradum cultus attollere: Siquidem apertè fatetur Pontifex, quod inſtitutio huius feſti facta ſit ſecundum *piam ſententiam*. Cumque & feſti inſtitutio, & ipſe cultus infallibilis ſit, ac certus, vt §. ſequenti dicemus, ſequitur & talem eſſe, dicique debere *piam ſententiam*, licet gradu inæquali, vt §. 1. dictū eſt.

¶ Confirmatur hoc ipſum apertiffimo teſtimonio, quod nobis ſuggerunt ipſi libellatores Romani quos Authores primæ propoſitionis ſequuntur, dicunt ſiquidem, lib. 2. n. 18. *Non inſtituuntur ab Eccleſia feſtivities, iuxta*

his, vel illas, quæ falli poſſunt, opinionēs. Ergo (inferimus nos) cum inſtituerit Eccleſia feſtum præſervationis Beatiffimæ Virginis iuxta præſententiam, hæc non erit opinio fallibilitati, ac errori obnoxia, ſed Theologò-Metaphyſicè certa.

¶ Decimum ſeptimum argumentũ, prioris confirmativum, deducimus ex eo teſtimonio, quod nobis porrigunt viri graviffimi ex clariffima Prædicatorum familia, qui hac veritate convicti, tam in conſtitutionibus generalibus, quam provincialibus ſui ordinis in noſtram ſententiam conceſſerunt, omnia verò, ac ſingula adducere brevitatis noſtræ non eſt, vnde ſolum proferemus id, quod ſtuerunt in Capitulo Hiſpalenſi, anno 1522. cuius vltimum decretum, reliquorum coronis, ſic habet: *Quia ordo Prædicatorum conſuevit ſemper ſequi ſententiam SS. Patrum, hucusque tenuit, quod Sanctiſſima Virgo fuerit concepta in peccato originali; verum deinceps hoc curæ ipſi amplius non erit, eo quod ſit materia inutilis, & valdè ſcanda- loſa, potiſſimum, quia iam ferè tota Eccleſia (cuius conſuetudo, ac authoritas, ſecundum quod docet S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. & in 3. part. q. 68. art. 10. valet amplius, ac præferri debet auctoritati S. Auguſtini, S. Hieronymi, & cuiuſcumque alterius*

Docto-

Doctõris) aſſeuerat, tenet ac celebrat B. Virginem fuiſſe ab originali culpa præſeruatam. Ex hac con- feſſione porrò plura deducuntur argumenta. Primò, quod hi, qui diſcedunt à mente huius capituli, exiſtimare ſe debent magis ſapientes, magiſque zelofos, virtuoſos, ac obſervantes quam fuerit tota illa venerabilis Provin- cia vnanimiter congregata. Secundò, quod vniverſi tunc faſſi ſint, ſequi in eo caſu ſenſum Eccleſiæ, eſſe ipſum ſequi S. Thomam. Tertiò, quod ad deſerendam veterem opinionem ſuã, vi veritatis adſtringebantur, ex eo manifeſta- ta, quia opinionem ſuam, peccatum Virginis affirmantem, iudicabant, vti re vera erat, ma- teriam inutilem, & nullius convenientiæ, atque inſuper multum ſcandaſam: Et hoc quidem ante Bullas, à Paulo V. & Gregorio XV. editas. Quod motivum ſine dubio fuit graviffi- mum, ad ſanciendam illam in congregato Ca- pitulo Conſtitutionem, ſicut id ipſum movit Sixtum ad ſuas definitiones, & Paulum V. Gregoriumque XV. ad ſuas Bullas evulgãdas. Quartò quia, vt ipſi fatentur, iam tũc tempo- ris erat iſ ſenſus totius ferè Eccleſiæ, quod idẽ confirmat præſens Bulla, cum ait: Eundem ſenſum eſſe ferè omnium Catholicorum. Hiſ igitur tam ſolidis fundamentis nixi, obliga- runt:

ſunt ſuos ad hanc conſtitutionem Religioſiſſimi illi Patres, cui ſi porro rationem addidiſſent, à feſtivate, cultuque publico Eccleſiæ deſumptâ, ſatis liquet, quâ multò fortius ſuū intentum ſtabiliviſſent. Dicant igitur nobis nūc Authores iſtarum propoſitionum, in quo gradu ſapieſtiæ, ac ſcientiæ, ſuper graviſſimos alios ſuæ Religionis viros ſeſe conſtituāt, quibus, tamenſi nec Pauli, nec Gregorij, nec præſentis Pontificis Bullæ, ac Conſtitutiones aurem vellicaverint, tamen ſatis ſuperque cognoverunt opinionis ſuæ invtilitatem, orta que exinde ſcandala, ſicut & Eccleſiæ ſenſum, conſuetudinem, ac auctoriſtatem verendam: cum iſti ex adverſo poſt Apoſtolicorum diplomatum prolixas admonitiones, aurem pertinaciter obturent, vt non audiant voces incantantium ſapienter. Quod ſi porro ſenſus, & uſus Eccleſiæ, præferri debet cuicumque Doctori, iuxta mentem Angelici Magiſtri, quomodo iſti ſenſui, ac iudicio Eccleſiæ, in Bullis Apoſtolicis adedò teſtificato, ſeſe oppoſnere audent? Sanè, habet Bandellus vndè ſe in hoc ſpeculo non perfunctoriè contempletur, qui eouſque aliquorum PP. ſenſum, dictaque attollere non eſt veritus, vt eos (ſed falſò arbitrio) voluerit, & Bullis Sixti, & Eccleſiæ prælatos.

latos. Ex quo ſatis liquet eum, Eccleſiæ ſenſū, iudiciū, auctoriſtatemque tanti, prouti S. Thomas, minimè feciſſe. Verum inde nihil retulit aliud, quàm quod ſibi iſſi, vt ſupra retulimus, parum decorè contradixerit.

¶ Decimumoſtavum argumentum deſumendum eſt ex abſurdis, quæ ſequerentur, ſi, & ſanctitas originalis B. Virginis, celebrata ab Eccleſia vniuerſa, & ſententia pia, ferè ab omnibus Catholicis propugnata, non eſſet infallibilis, ac certa: Sic namque Eccleſia Sancta, ré falſam, ac ſacro cultu indignam celebrare cōvineeretur, atque adedò primò ſædam auctoriſtati ſuæ notam inureret, ſecundò infamiam conciliaret ſuæ ſapieſtiæ. Tertiò, iniuriam inferret ſuæ ſanctitati. Quartò, indelebilem maieſtati ſuæ noxam levitatis imponeret. Quæ omnia, ſicut in graviſſimum Eccleſiæ nocumentum, ita in magnam Sancti Spiritus, eandem gubernantis, iniuriam cederent: iniuriam, inquam, quid enim aliud foret, ſi deceptus Sacerdos, in perſona Chriſti, & Eccleſiæ celebraret inſtans peccati, pro inſtanti gratiæ, daretque cultum Religioſum rei, eiufdem omninò indignæ, & incapaci. Igitur poſſibile non eſt falſam eſſe poſſe gratiam pro primò inſtanti Beatiffimæ Virgini communicatam. Quod

argumenti genus etiam adhibet Fr. Ioannes de S. Thoma, ex familia D. Dominici, confessorius olim Regis Catholici, asserens de fide esse bonitatem, ac sanctitatem præcepti, à Põtificè, quã tali, vniuersali Ecclesiæ impositi. *Et hæc est de fide, inquit, in virtute illius vniuersalis, quod, quæcumque dicatur ex Cathedra, sunt seruanda, ac facienda. Et quia non potest deficere Sanctitas Ecclesiæ, neque certitudo moralis, quæ ex lege pendet 2. 2. q. 1. dist. 9. à 3.*

¶ Decimum nonum argumentum nititur consuetudine antiqua Ecclesiæ, cuius, cum neque assignauerit, neque insinuauerit Pontifex in suo diplomate principium, consequens est, nos eidem aliud tribuere non oportere, nec posse, nisi dicendo ex traditione, aut Apostolica, aut certè Ecclesiastica illam descendere. De Apostolica modò nil dicimus, tamen si eam adhuc ante hanc Bullam complures asserunt, & post illam asserere meliori iure poterunt, fundamento nixi excessivè maiori. Quippè consuetudines Sanctas, ac Religiosas Ecclesiæ, quarum non reperitur certum initium, omnes Sancti PP. habent pro Apostolicis, hoc ipso nimirum, quod non constet origo vsus introducti in Ecclesijs Apostolicis, ab Apostolis dimanasse credendus est, quod est  
argu-

argumentum D. Augustini contra Donatistas. Verum nos in hoc argumento soli traditioni Ecclesiasticæ inhærebimus, cuius aliquod exemplum allegat Sac. Concilium Trident. sess. 13. cap. 7. his verbis: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus hæc Sancta Synodus perpetuò obseruandum esse decrevit. Cum ergo antiquissima sit huius celebritatis consuetudo, nullumque eius constet principium, cum nec Pontifex vllum assignet, quis dubitat hanc celebritatem ex traditione antiquissima dimanare, atque ex vno sæculo in alterum, ex vna fidelium serie in alteram, ex vnis Ecclesijs in alias, per continuam successionem, sine vlla intermissione, aut varietate gradum fecisse. Quam enim magis patentem, constantemque Ecclesiasticam consuetudinem, ac traditionem aduersarij excogitauerint? Sed certum, & exploratum est, traditiones Ecclesiasticas (tamen si ex Apostolicæ non sint) esse tamen illis ad eò vicinas, ac similes, vt falsæ esse nulla ratione queant: quo igitur pacto falsa*

erit pia sententia, illis innixa? Igitur statuen-  
dum est illam esse certam, ac Metaphysicè in-  
fallibilem.

¶ Vigésimum argumentum desu-  
mitur à sensu contrario, seu à contraria opi-  
nionem, quam veram esse, & definiri non pos-  
se, probant Theologi efficaciter ex Bullis  
Sixti, nonnullas propositiones contra institu-  
ti festi, & cultus obiectum, idest aduersus Im-  
maculatam Beatiss. Virg. Conceptionem spar-  
sas condemnantibus, vt falsas, erroneas, ac veri-  
tate penitus alienas. Quas Constitutiones, dum  
confirmat, ac renovat noster Pontifex, & cō-  
sequenter cum illis ipsam condemnationem  
Sixti, à Concilio Tridentino iam antea con-  
firmatam, fit, vt pia sententia (in cuius tutamen-  
& favorem dictæ condemnationes emanarūt)  
debeat esse Metaphysicè certa, ac infallibili-  
ter vera: Tum quia Pontifices in censura pro-  
positionum errare non possunt (vt communis  
habet Theologia) tum quia duas propositio-  
nes contradictorias simul veras esse implicat,  
adedòque magis illas, contra obiectum Eccle-  
siastici cultus, idest gratiam primi instantis  
insurgentes, atque à Pontifice damnatas. Et  
confirmatur ex ipsa institutione festi, quæ (vt  
inquit Salazar) est tacita quædam definitio  
(etsi

(etsi non de fide) sanctitatis originalis. Cum  
ergò præsens Bulla sit nova, vt diximus, seu  
innovatoria institutio, & declaratio, adedòque  
quædam realis, ac tacita definitio cultus, ac festi  
(primum instans Conceptionis in gratia pro  
obiecto) respicientis, consequens est, impossi-  
bilem esse definitionem contrarij, quia alio-  
quin admittenda foret contradictio in eadem  
re à Spiritu Sancto declarata, & per festivi  
cultus institutionem tacitè (licet non vt de fi-  
de) definita. Vnde porrò concluditur cultum,  
& sententiam piam, quam institutio Pontificia,  
dictaque declaratio comitatur, falsam esse  
non posse, sed debere esse Metaphysicè cer-  
tam.

¶ Vigésimum primum argumētum no-  
bis suggerunt verba eiusdem Bullæ, explicā-  
tia animum, atque intentionem Summi Pon-  
tificis, eiusdemque Apostolicas curas, tanquā  
Pastoris vniuersalis, in illa declaratas: quibus cu-  
pit obviam ire scandalis, ex occasione assertio-  
nis contrariæ ortis in Ecclesia Dei, ac porrò for-  
midandis impostero (cupientes in Christi grege  
vniatatem spiritus, amotis scandalis) pro quorum re-  
medio applicat ipsum huius mysterij cultum,  
ac publicam celebrationem, atque ad seque-  
lam piæ sententiæ exhortationem. Quod sanè

non faceret Summus Pontifex, tanquam *uni-*  
*uersalis Ecclesie Pastor*, si opposita opinio non  
 foret falsa, dictorumque scandalorum, ac Dei  
 offensarum occasionem præberet; sicut neque  
 è contrario (si non esset nostra omninò certa,  
 pacifica, Deoque grata) illam tanquam reme-  
 dium, ac medicinam tantorū in Ecclesia scan-  
 dalorum, quæ ipsam turbatum ibant, applica-  
 re potuisset. Nā alioquin Papa diceret malū  
 bonum, & bonū malū, antidotū venenū, ac to-  
 xicū medicinā. Quod absit, vel cogitare, cū id  
 utique repugnat Pastoris vniuersalis muneri,  
 Ecclesieque à Sancti Spiritus assistentia gu-  
 bernatæ integritati: Ergo ratum manet, cul-  
 tum, ac *sententiam piā*. Theologo-Metaphy-  
 sicè certam esse.

Vigesimali secundò vim, ac robur  
 assertioni nostræ suppeditat Pontificia *prohibi-*  
*tio* interpretandi, aut glossandi, quacunque  
 ratione, ac *modo excogitabili*, Sacram Scriptu-  
 ram, SS. Patres, ac Doctores contra sententiā  
 piā, prohibendo id cum clausula ad eò stri-  
 ctā, quæ includat *omnem modum imaginabilem*,  
 qui posset occurrere. Quod utique facere ne-  
 quivisset Pontifex, si opinio contraria mentē  
 Patrum, Doctorum, Sacraeque Scripturæ sibi  
 faventem haberet: Quia aliàs Fidelibus, igno-  
 rantia tenebris involutis ( quibus ad divinas

veritates, Numinis cultum, bonosque mores,  
 ac ad Religionem pertinentes agnoscendas,  
 aperire ianuam opportuisset) concreditā sibi  
 scientiæ clave occluderet. Ergò ex hoc Ponti-  
 ficis facto patenter infertur, opinionem con-  
 trariam esse falsam; *piā* verò *sententiam*, Me-  
 taphysicè infallibilem, veram, ac certam: ac  
 proinde longè amandandum exoticum illud,  
 quod inferebat Magister Nicolaus Richardi  
 (aliàs monstrum appellatus) sacri Palatii Ma-  
 gister, dicēs: hoc Pontificis facto opinioni cō-  
 trariæ (quam dicebat Scripturā, & Ecclesie  
 Patribus niti) occasionem dandam arbitran-  
 di: adesse iam tempus, quo necessarium erat  
 dicere, *obediendum magis esse Deo quam hominibus*.  
 Quasi diceret eo casu Pontificem non loquu-  
 turum vt Dei Vicarium, nec Deum per illum;  
 sed vt merum hominem deceptioni, ac erro-  
 ribus subiectum, cum potiori iure ipse infer-  
 re debuisset, quod rebus sic stantibus impos-  
 sibile erat opinionem contrariam esse veram,  
 aut nostram falsam esse posse.

¶ Vigesimali tertium argumentum ( à  
 temporibus Pauli V. & Gregorij XV. hucus-  
 que admodum vñsitatum) sumitur *ex silentio*  
*imposito* contrariæ opinioni, ad eò stricto, ac ri-  
 goroso, vt omne signum, etiam indirectè ori-  
 ginalis peccati manifestativum, atque adver-  
 sus

ſus ſententiam piam, feſtum, & cultum prolatum, vi Bullæ ſit prohibitum; revocatum inſuper privilegium, quibuſdam Religioſis olim con- ceſſum, intra ſe ſolummodo, & non cum alijs de hac materia diſputandi. Argumentum eſt hoc: Non poteſt Pontifex cuiuſmodi prohibi- tionem ſtatuerè niſi circa rem, Deo, bonis mo- ribus, ac ſacro cultu indignam, idque multò minus, ſi illa in S. Scriptura, aut Patribus con- tineretur, ſiquidem hoc eſſet prohibere ne manifeſtaretur illud, quod Spiritus S. voluit manifeſtari, nec palam diceretur, quod ipſe eſt locutus, nec fideles intelligerēt, quod vel- let ipſis Deus promulgari. Ergò falſa eſt opi- nio oppoſitæ partiſ, quippè cui à Sede Apoſto- lica hoc ſilentium eſt impoſitum; & vice ver- ſa certò, ac inſallibiliter verum eſt, quod ad- ſtruit *pia ſententia*, vtpotè quam mādant Sum- mi Pontifices prædicari ſuper tecta, promul- gari, doceri, propagari, celebrari, atque in fi- delium peſtoribus ſtabiliri. Et hanc ob cau- ſam Fr. Nicolaus Richardus hoc ſilentium adeò gravatè tulit, vtpotè opinioni ſuæ adeò pernicioſum, vt ſi in eo perſiſteretur, crede- bat periculum imminere ipſis Summiſ Ponti- ficibus reſiſtendi, ac dicendi oportet Deo ma- gis obedire, quam hominibus.

Con-

¶ Confirmatur hoc argumentum ex ſta- tuto Agapiti Papæ, & dicto Mariani Archiman- dritæ (quod Arpaſegus contra ſe ipſum nobis obtrudit, & nos ſupra part. 1. §. 7. adduximus) vbi negabant facultatem hæreticis ſuos erro- res prædicandi, eam ob rationem, quia per- mittere errores prædicare, erat eoſdem ap- probare, quod, vt Chriſti Vicarius facere non poterat, cum foret veritati diſſentaneum, da- returque anſa cogitandi Pontificem idem ve- ritatis pondus tribuere ei, quod prohibebat, ac illi, quod approbabat, cōſulebatque. Quod totum proportione ſervatà militat pro noſ- tra parte, quādoquidem Pontifex approbat, & hortatur ad prædicationem noſtræ ſenten- tiæ, coarctat verò, ex oppoſito, ad ſtrictum ſi- lentium contrariam; vnde, cum approbat no- ſtram, vt ſynceram, arguit oppoſitam, vt fal- ſam. Quod in ſimili confirmatur ex S. Grego- rio Nazianzeno ad Nectareum, vbi ſic ait: *Si illis, inquit, vt piè ſentientibus, & quæ ſentiant docere, liberèque promulgare permittitur, quiſ non videt Eccleſiæ doctrinam condemnari, perinde, ac ve- ritate ab illorum partibus ſtante, neque enim fert duas de eadem re contrarias doctrinas veras eſſe.* Hæc ille. Cum igitur Romani Pontifices non indul- gent ſolum, ſed mandant vulgari ſententiam

piam



321  
piam eiusque obiectum celebrari ſolemniter,  
& ideirò hoc falſum eſſe nequeat, hoc ipſo  
reiſciūt opinionem oppoſitam, vt falſam, noſ-  
tram verò approbant, vt verè piam infallibi-  
lem, ac certam.

¶ Vigefimum quartum argumentū. cer-  
titudinis ſententiæ piæ ſuggerunt Doctorum  
plurimi cum doctiſſimo P. Didaco Granado,  
& Aegydio Luſitano, qui affirmant verum fo-  
rè martyrem illum, qui in tormentis morere-  
tur ob proteſtationem cultus, ac ſententiæ,  
Immaculatam Conceptionem adſtruentis. Et  
ratio deſumitur ex *D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 5.*  
vbi ait: Quod omnia opera virtutum, in quā-  
tum ad Deum referuntur, ſunt quædam pro-  
teſtatio fidei, quia per hac nobis manifeſtatur,  
quod eiufmodi opera à nobis petat Deus, eo-  
rumque cauſa nos remuneretur; quo fit, vt  
cauſa martyrij eſſe poſſint. Ita Angelicus Do-  
ctor. Nunc igitur, quis neſcit cultum huius  
myſterij piū eſſe, & ad virtutem Religionis  
ſpectare, quem exhibere publice pietas eſt lau-  
de digna, quem corde tenere eſt deuotio Religioſa,  
vt Breve Pontificium teſtatur. Imò, quod am-  
plius eſt, proteſtatur ſe velle defendere, ac tue-  
ri hanc deuotionem, ac pietatem: Ergò is, qui pro  
defenſione illius, quod defendit ipſe Summus

Pon-

Pontifex, pro eius promotione, quod ipſe pro-  
mouet, pro celebratione, quod ipſe, veluti  
Deo gratum, laude, ac premio dignam cum  
Eccleſia celebrat, vitam profunderet, iuxta  
dictam D. Thomæ ſententiam, Martyr foret.  
Ex quo clarè ſequitur, & concluditur certi-  
tudo feſtivi cultus, ac ſententiæ piæ, quæ eiufmo-  
di eſt, vt eius publica profeſſio, ac cum vitæ  
profuſione facta proteſtatio, coronam mar-  
tyrij promereatur, quæ profeſſò non falſitati,  
aut eius ad ſtipulatori; ſed ſanæ veritatis, ac  
virtutis veræ teſtibus duntaxat porrigitur.  
Et hic quidem doctiſſimorum virorum ſen-  
ſus, minus illi admiratione dignus videbitur,  
qui ea animo expenderit, quæ Bandellus in  
præfatione ſui operis ad Religioſiſſimos ſui  
Ordinis Patres habet, vbi eorū hortatur,  
iuſtumquè eſſe aſſerit pro defenſione maculæ  
originalis Virginis laborare, ac etiam ſangui-  
nem profundere: pro qua tuenda, inquit, & de-  
fendenda, infamias, iniurias, ipſam quoque mortem,  
ab indocta plebecula ſuſtinere non formidetis. Quod  
ſanè homo doctus, ſuæque Religionis Gene-  
ralis dicere non poterat, niſi opinionem ſua m  
(licèt falſò) verè piam eſſe iudicaſſet, & quod  
mortem ſubire pro illa pietatis virtute (quam  
ſibi falſè imaginabatur) ſit Martyrem eſſe,

KK

quem-

quæmadmodum sunt omnes, qui pro defensione alicuius virtutis mortem oppetunt. Quamquam de hoc neque tunc temporis, neque ante, vel post blandiri sibi Bandellus poterat, si Ecclesie sensum, & maximè Sixti IV. mentem attendere voluisset: qui expressè dixit (vt ipse quoque fatetur ratione 11.) quod indulgentias, quas huic festo concedebat, ijs elargiebatur, qui recitassent officium *iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem Magistri Leonardii Noguerosis*, in quo apertè conceptio B. Virginis vocatur Immaculata, vt patet legenti. Et licet ille hoc detorquere nitatur ad *sanctificationem* post culpam, non poterat tamen ita pertinaciter cæcutire, quin cognosceret illud officium (quod à Pontifice *pium, deuotum, ac laude dignum* nominabatur) has re ipsa virtutes obtinere, ac proindè non tam facilè martyrij lauream reperiturum eũ, qui pro illa sua opinione, vt potè de falsitate summo perè suspecta, imò apertè satis convicta moreretur. De nostrate verò sententia virtute Bullarũ Sixti IV. confirmatarum à Concilio Tridentino, à Paulo, Gregorio, & alijs Summis Pontificibus comprobatarum, nulli sanæ mentis dubium laboriri potest, quin ipsa, sicut & hoc festum, & cultus vera pietate, deuotione, ac laudabili-

li.

itate prædita sint, ad eoque obtineant sufficenter id, quod ad impertiendam martyrij coronam cuiuscunque, qui pro eius defensione obiret, exigitur. Idque viâ tantò certiori, quantò is, qui sic mortem oppeteret, non se gubernaret ex prudentia particulari alicuius Magistri (quæ potest esse errori, ac deceptioni subiecta) sed nutu Dei, & Sanctæ eius Ecclesie, quæ in eiusmodi cultu publico, & vniuersali, quem ipsamet secundum sententiam *piam* defert huic mysterio, errori obnoxia esse nequit. Sed de hoc inspiciendus Aegydius, Suarez, Granadus, Saavedra, & alij. Interim subsistit nostrũ argumentum, pro martyrio, ob defensionem *piae sententiae* perpeffo, manetque ex hæctenus dictis nostram sententiam Theologo-Metaphysicè infallibilem, ac omninò certam esse.

¶ His verò ita statutis, & suppositis querimus de more ab Auctoribus istis Anonymis. An sentiant, ac velint hanc (de qua hoc §. agimus) pietatem esse illam, de qua ipsi in prima illa sua propositione mentionem faciunt, an non? Si primum? Iam sentiunt nobiscum, & animitus lætabimur, hac in parte nos Fratres nostros lucrifecisse; quamvis etiam cum hæc deditio nondum aliundè ab omni sese difficultate expediant, in quam vtrò se implicue-

KK 2

runt,

runt, ex eo quod in eodem, certitudinis, aut probabilitatis gradu, tam cultum, quam sententiam piam collocent, cum sapius iam à nobis demonstratum sit, cultum vno certitudinis gradu sententiam excedere, illumque, & illius obiectum à Pontifice directè declaratū, adedque Catholicè certum esse, ac à nemine negari posse, sententiæ verò piæ, eiusdemque obiecti veritatem, & existentiam solum indirectè, & à nobis, per legitimam consequentiã inferri, vt infallibilem, ac certã, ex cultu, tamquam principio infallibili, ac certo. Præterea, si nobiscum sentiunt, benè quidem, aliundè tamen vi suæ propositionis primæ, iam, aut piam sententiam ad gradum certitudinis ipsius cultus contra se ipsos falsò evehunt, aut è contra dictum cultum, è suo gradu deturbantes ad sententiæ piæ solam probabilitatem (quam illi falsò impingunt) demittunt.

¶ Negaturi itaque sunt, absque dubio se locutos de octava hac pietatis acceptione. Sed tùm iterum redit argumentum, quod ex prima illa Anonymorum propositione, iam sapius à nobis extractum, in ipsos denudò intorquemus. Rogamus nempe an hæc negatio sit respectu solius cultus, illiusque obiecti? Aut respectu solius sententiæ piæ? Aut utriusque simul?

Si

Si procedat de solo cultu, eiusque obiecto. Contra est tùm primò: totum id, quod de illius certitudine, p. 1. §. 3. & 6. tùm p. 2. §. 1. adduximus. Contra est secundò, quod paragrafo sequenti dicturi sumus. Contra est tertio, & quidem ad hominem contra Anonymos, quia cum ipsi in sua illa prima propositione, æqualem cultui, ac sententiæ piæ certitudinem attribuant, consequens est, vt quod hæc in parte negant cultui idissim pariter negant sententiæ piæ. Vnde negativa hæc non potest in solum cultum torqueri, quin simul cadat super ipsam quoque sententiam piam, vt per se patet. Ergo de cultu solo, non procedit negatio illorum.

¶ Quod si verò pietatem, de qua hic loci agimus, velint negatam sententiæ piæ duntaxat. Contra est primò: quia argumenta, toto hoc paragrafo à nobis producta efficaciter, patenterque evincunt oppositum, vt consideranti patebit. Tùm secundò ad hominem: quia eo ipso quod (vt volunt Anonymi) cultus, & sententiæ piæ, pari passu incedant, necessè est, vt quidquid certitudinis negaverint sententiæ piæ, similiter negent, & cultui; quod sanè fieri non potest, tùm primò, quia contrarium iam sapius à nobis est demonstratum, & mox §. sequenti ex instituto amplius erit aperiendum. Tùm

secundò.

ſecundò ad hominem, quia cum ipſi, ex vi primæ illius ſux proſitionis in eodem proſus gradu ſtatuant *cultum*, quo *ſententiam piã*, inanè ſeſtè ſequitur, ab ipſis, aut hanc attolli, ad dignitatem, ac certitudinem *cultus*: aut certè hunc detrahi ad ſtatum *ſententiæ piæ*. Quam ob rem poſtliminio adverſus hos Anonymos hæc ratione inſurgo: & quæro, an ipſi *ſententiam piã* collocent, in eo, duntaxat gradu, quo eam poſuit, aut Bandellus, aut Cayetanus, aut Arpaſlegus, aut libellatores Romani, aut denique alij, parum, aut nihil ab ijs differentes? An verò è contra in eo, quo illam cum Ægydio Luſitano, Saavedra, Euſebio Nierembergjo, & alijs nos reponendam eſſe toto hoc §. docuimus? Si hoc ſecundum? Iam noſtræ accedunt ſententiæ, & obtinuimus: Si verò illud prius? Planè iam aſſerunt *cultum*, cuiusque *obiectum*, eſſe, aut impium, aut falſum, aut merè popularem, improbabile, &c. id, quod omninò eſt falſum, temerarium, directè Pontificiæ Bullæ oppoſitum, gravibuſque cenſuris ſubiectum, quemadmodum non ſemel ſupra ostendimus.

§. IX.

§. IX.

Examinatur pietas Catholica.

**P**IETAS, ſeu veritas Catholica sæpè accipitur, à Sanctis Patribus, etiam pro *pietate fidei*, iam definita, à quâ tamen omninò diſtinguitur, vt certum eſt apud Catholicos omnes, & ſcitè, adnotavit Magiſter Frater Dominicus Bañez 2. 2. q. 11. art. 2. *Eſt enim* (inquit) *aliud fides Catholica, vt aduertit Magiſter Canus: & aliud doctrina Catholica: Sunt enim aliqua, quæ uniuersaliter docentur in Eccleſia Catholica, quæ tamen non ſunt Catholica fides, hæc Bañez ibi, vbi, & mox ſubiicit varia doctrinæ Catholicæ exempla, nos quoque ſupra parte prima, §. 5. & 7. alia iam dedimus ex Sancto Auguſtino, & Bernardo.*

¶ Eandem verò pietatem, ſeu veritatem, & doctrinam Catholicam deſcripſimus ex Ægydio Luſitano, §. ſuperiore, gradu ſecundo, vbi illâ ait eſſe *veritatem*, nondum ab Eccleſia definitam, at tamen principijs fidei, & veritatibus expreſſè reuelatis, aut definitis, adeò vicinam, proximam, & immediatam, atque ab omnibus Catholicis receptam, vt illius oppoſitum cenſeatur in fide erroneum, adeòque, nec doceri, aut etiam

iate-

interius sentiri est permissum, ita Ægydius cū  
communi Theologorum.

¶ His ita præmissis quæro ex Anonymis,  
primæ illius propositionis Authoribus; an in  
illa loquuti sint de nona hac pietatis acceptio-  
ne, an verò secus? Et certum est illos haud qua-  
quam de ea egisse. Asum enim fore de sua  
opinione iam palam faterentur; quinimò, ex  
parte plus nobis concederent, quàm velimus,  
vt mox patebit.

¶ Nam quærimus iterum ex iisdem; an  
hanc (de quà modo agimus) pietatem Catholicam  
abiudicent, ac denegent soli sententiæ piæ? An  
verò soli cultui, eiusdemque obiecto (quoad  
quæstionem quod sit?) An denique promiscuè,  
vtrique simul? Si primum, id est, si hunc pieta-  
tis gradum denegent soli sententiæ piæ, non  
illis refragabimur, ex hoc quidē capite; aliū-  
dè verò eosdem fortiter stringimus, atque ex  
eo (quod ipsi in prima illa sua propositione,  
piam sententiam inæquali gradu cū cultu re-  
ponant) ad vnum horum admittendum com-  
pellimus, vt nimirum fateantur, aut vtrunq;  
non esse in eodem gradu collocandum: aut  
neutri seorsim denegandum, quod alterutri  
velint concessum, aut à nobis probatum fue-  
rit concedendum: aut denique, vel sententiam  
piam

piam euectum, iri ab ipsis, ad gradum cultus, vel  
hunc deturbandum ad stationem sententiæ piæ;  
quæ omnia apertè sunt falsa, inter se pugnan-  
tia, & propositionis primæ iugulum potentia,  
vt ex sæpius adductis ratiocinationibus iam  
patet, & mox amplius constabit.

¶ Respondebunt igitur hanc pietatem, &  
veritatem Catholicam, non solum non in esse piæ  
sententiæ, sed nequè cultui eiusquè obiecto (quo  
ad quid sit) adeòque eam negabunt promiscuè  
vtrique simul. Sed contra est, quia licet (vt di-  
ximus) de sententiæ piæ id non in congruè nege-  
tur, de cultu tamen eiusdemque obiecto (quoad  
quid sit) certum videtur id hodiè negari à nemi-  
ne, absque piaculo, & contraventione diplo-  
matis Põtificij posse, quod sic ostendo. Ea om-  
nia, quæ requiruntur, vt aliqua pietas, doctri-  
na, seu veritas, dicatur Catholica, reperiuntur in  
sacro hoc cultu, eiusdemque obiecto (quoad quid  
sit) ergo hæc, huius cultus, & obiecti pietas, est do-  
ctrina, & veritas Catholica. Consequentia rectè  
sequitur. Antecedens probatur per partes, ex  
allata illius descriptione. Etenim primò neque  
facer hic cultus, ab Ecclesia institutus, & exhi-  
bitus, neq; illius obiectum (quoad quid sit) id est  
preservatio Beasissimæ Virginis, sunt definita, vt de  
fide credenda; cum (vt ait Pontifex) nondum sit

hoc decisum, nempe de fide.

¶ Nihilominus tamen secundo, tam sacer-  
hic cultus, quam illius obiectum (quoad quid sit)  
evidens est, tum evidentiâ facti Ecclesiæ illum  
re ipsâ exhibētis; tum etiâ evidentiâ declara-  
tionis, quâ S. D. N. Alexâder Septimus (quod  
& quale nam sit Ecclesiastici huius cultus ob-  
iectum) declarat, dum ait *Nos inquit consideran-  
tes, quod Sancta Romana Eccl. sicut intemerata, sem-  
perque Virginis Mariæ Conceptione, festum solemniter  
celebrat, &c. Volentesque laudabili huic pietati, & de-  
votioni, & festo, ac cultui secundum illam (id est sen-  
tentiam piâ) exhibito, in Ecclesia Romana, post  
ipsius cultus institutionum nunquam immutato, Ro-  
manorum Pontificum, prædecessorum nostrorum exem-  
plo favere; necnon tueri pietatem, & devotionem hanc  
colendi, & celebrandi, Beatissimam Virginem, præ-  
veniente scilicet Spiritus Sancti gratia, à peccato ori-  
ginali præservatam. Quæ omnia, à Christi Vicario  
pronuntiata, adeo aperta sunt, ut absque in-  
genti temeritate nota negari non possint.*

¶ Tertio, idem hic sacer, huius obiecti  
cultus, à Pio Quinto alijsque Summis Pontifi-  
cibus per Ecclesiâ universali quot annis octa-  
vâ Decembris exhiberi est præceptus, adeoque  
universalis est, & Catholicus, ut patet; Et ideo  
Sanctissimus Dominus noster Alexander Sep-  
timus,

timus, cum dixisset pietatem hanc per votivam,  
esse ferè omnium Catholicorum, & piatissimè se ferè;  
non ad cultum retulit, sed ad solam sententiam piâ  
restrinxit, ita (inquit) ut accedentibus quoque ple-  
risque celebrioribus Academijs, ad hanc sententiam, iam  
ferè omnes Catholici eam complectantur. Hanc restri-  
ctione, & exceptione (regulam pro cultu in-  
oppositum firmante) aperte significans cultum,  
non solum esse ferè; sed planè omnium omni-  
nò Catholicorum, adedque esse Catholicum,  
& universalem.

¶ Quarto pietas hæc, & veritas sacri hu-  
ius cultus, & celebritatis Ecclesiæ universalis, vi-  
cina est, affinis, & proxima, ac immediatè sub-  
nexa veritatibus, & principijs fidei, ex quibus  
immediatè deducitur, tanquam conclusio  
Theologica, ut patet ex hoc syllogismo; San-  
cta Romana Ecclesia, firmamentum, & columna ve-  
ritatis nō potest à vero aberrare, in rebus ad Dei cultum  
spectantibus (cuiusmodi v. g. est festorum institutio, &  
publica alicuius mysterij celebratio.) Sed Sancta Roma-  
na Ecclesia celebrandam instituit, & re ipsâ solenni-  
ter, & publicè celebrat præservationem Beatissimæ  
Virginis à labe peccati originalis, ergo Sancta Romana  
Ecclesia, instituendo, & celebrando dictam præservatio-  
nem Beatissimæ Virginis errare non potuit. Maior est  
de fide: minor evidens, evidentiâ facti, & Pon-  
tifi-

tificiæ declarationis, vt ostēsum est, consequētia est legitima, & conclusio Theologica, vt potē ex vna de fide, & altera evidenti illata, adeoque est affinis, & proxima veritatibus, & principijs fidei, & consequenter Catholica.

¶ Quintò, eo ipso, quod hæc propositio: *cultus præseruationi Deiparæ Virginis ab Ecclesia decretus, delatus, & declaratus est infallibilis, sit conclusio Theologica, eius cōtrariapropositio est erronea, vt docēt Theologi cōmuniter omnes, sed pietas, & veritas (cuius contraria assertio est erronea) est pietas, & veritas Catholica, ergo cultus præseruationi Deiparæ Virginis ab Ecclesia decretus, delatus, & declaratus est pietas, & veritas Catholica.* Ec cōfirmatur hoc argumētum efficaciter, ex Bulla Sixti IV. cuius initium est *Gravè nimis, in qua, hanc propositionem (Ecclesia celebrat solum Conceptionem Spiritualem, adeoque non naturalem) reprobavit, ac damnavit, vt falsam, erroneam, & à veritate penitus alienam, idque ex eo, quod illa propositio adversaretur dictæ conclusioni Theologicæ, non ignari (inquit) quod S. Romana Ecclesia Beatæ Virginis Conceptionem celebrat, & speciale, ac proprium officium (in quo sapius Conceptio naturalis appellatur Immaculata) ordinavit.* Tamen ausi fuerunt, propositionem illam in

vulgus effundere. Ergo similiter, & multò magis, propositio (quà quispiam hodiè, aut negaret ab Ecclesia dari sacrum hunc cultum, aut illius obiectum assereret non esse præseruationem, seu Conceptionem naturalem B. Virginis) esset erronea, vtpotē conclusioni Theologicæ ex supra allato fidei principio immediate deductæ, opposita.

¶ Denique sextò nulli fas est, vel permissum hodiè affirmare exterius, sivè etiam sentire interiùs, sacrum hūc cultum *non dari ab Ecclesia, aut illius obiectum, non esse gratiam originalem, seu præseruationem Deiparæ Virginis.* Vti manifestum est ex rationibus iam iam adductis, & potissimum ex manifesto Ecclesiæ vniversalis factò, & præcepto, vt, & ex aperta Summi Pontificis declaratione; secus enim, si fas est dubitare, de his, quid firmum, quid ratum, quid fixum, quid denique circa veritates, & pietates consimiles inconcussum, manebit in Ecclesia Dei, & decretis Summorū Pōtificum? Cum igitur pietas, & veritas, illa de qua (vt ait Canus, & ex eo Suarez) nemo verè pius, & doctus dubitare potest, multò verò minus affirmare contrarium, sit pietas, ac veritas Catholica, consequens est sacrum cultum illiusquè obiectū (quoad quid sit) esse pietatē, & veritatē Catholicā.

¶ Ex his verò patenter constat: *Primo* ab Authoribus istis Anonymis absque piaculo, & contraventione Bullæ Pontificiæ negari non posse, sacro huic cultui, illiusque obiecto (quâ tum ad quæstionem *quid sit*) omninò inesse hæc pietatem Catholicam.

¶ Constat secundò, eosdem Authores, si sue propositionis primæ fateri oportere, etiam *sententiam piam*, esse pietatem Catholicam, ut potè ab ipsis in eodem pietatis, ac veritatis gradu vnâ cum cultu repositam, quod tamè vtrûque (saltem quoad nos) est omninò falsum. Aut certè palam edicere debent, malè à se dictum esse *pietatem cultûs*; eiusdem esse rationis, ac veritatis (quoad nos) cuius est *pietas sententiæ piæ*, adedque, & falsam esse omninò primam illam suâ propositionem, & in terminis sibi repugnantem.

¶ Constat denique tertio, differentia (quoad nos) inter certitudinem, *sententiæ piæ*, & sacri huius cultûs; à quo nos illam, vno gradu inferiorem (nempe solum Theologo-Metaphysicè, non autem Catholicè certam habetenus asseruimus, & s. superiori ex instituto probavimus) & ratio est; tum primò, quia (ut etiam diximus supra §. primo, huius secundæ partis) sacer hic cultus, & illius obiectum (quoad *quid sit*) dire-

directè, & apertè sunt à Pontifice declarata, at verò *sententiæ piæ*, illiusque obiectû (quoad *an sit*, sive *an re ipsa existat*) solum indirectè, & virtualiter. Tum *secundò* nam, licet *sententiæ piæ*, etiam inferatur ex principijs fidei tanquam conclusio Theologica etiam infallibilis, & certa, quia tamen hæc eius illatio non est ita im mediata, uti est illa sacri cultûs, sed mediata & magis remota, adedque primis illis fidei principijs minus vicina, minusque proxima, sit ut in aliquo inferiori certitudinis gradu (certo tamen, & infallibili) ab Ægydio Lusitano, & alijs, ac etiam à nobis fuerit collocanda, ac verò etiam sit collocata, atque idcirco solum Theologo-Metaphysicè certa appellata. Tum *tertiò*, quia, ut notum est in scholis, principia semper existant certiora (quoad nos) conclusionibus, ex illis deductis; vnde, eû ex sacro, & publico huius mysterij cultu, & festiva Ecclesiæ celebritate (cuius veritatem, tanquam cõclusionem Theologicam, ex illo, de Ecclesiæ inerrabilitate, fidei principio, immediatè extraximus) tanquam ex quodam etiam principio (quoad nos, non de fide, sed Catholicè duntaxat certo) inferamus *sententiæ piæ* veritatem, & obiecti illius realem existentiam; fatendum est hanc veritatem, *sententiæ piæ*, verita-

te cultus, illiusque obiecti (quoad *quid sit*) vno saltem gradu (quoad nos) esse inferiore ad eoque solum Theologo-Metaphysicè infallibilem, ac certam, vt dixi quoad nos.

## §. X.

## Examinatur Pietas de fide.

**D**ecimam pietatis acceptionem eam esse dicimus, quam veritatibus, seu articulis fidei iam definitis, aut expressè revelatis attribuere solemus. Et quanquam aliqui, vt Gerson Almaynus, & alij, hic loci excefferint quemadmodum apud Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. apparet) volentes pietatem nostrae sententiae hac ratione de fide esse: neque illi tamen, neque nos id affirmare, aut possumus, aut intendimus, sperantes interim futurum breui, vt Ecclesia, eiusque caput Summus Pontifex, tot piorum votis, ac desiderijs motus, tot Scriptorum, praeservationem Virginis adeò nervosis rationibus asserentium, & contrariae partis fundamenta solo æquantium, iuges labores respiciat, atque ad inducendam omnimodam malitiam huic mari magno, ac spatioso S. Ecclesiae, evulgata tandem definitione expressa, ac ultimata huius mysterij Petri tridente fluitus

ctus dissensionum omnes, ex contrariae opinionis assertione ortos, providè sopiat, atque cõplanet.

## §. XI.

## Examinatur Pietas, quae dicitur Religiosa.

**V**nde decimam pietatis acceptionem diximus cum S. Augustino, ac S. Thoma idem significare, ac cultum Religiosum, respectu Dei, & hanc ob causam omnia opera pia dici Sancta, ac Religiosa. Neque indiget res hæc vltiori probatione, cum in confesso sit, legata, eleemosynas, aliaque id genus ad misericordiae executionem spectantia, opera pia, ac Religiosa indigitari.

¶ Quo posito, restat ab adversarijs quærere, an in sua illa prima propositione de hac pietate loquantur, aut non? Et quidem, quod circà hanc illis lis non sit, videtur planè certum; Tùm primo, quia cum hæc pietas sit virtus, exploratum est illam habere sanctitatem veram. Tùm secundo, quia cum sit virtus supernaturalis, procedat ex lumine superno fidei, adeòq; certa sit, ac infallibilis oportet. Tùm tertio, quia cum (vt declarat Pontifex) sit cultus publici, totius Ecclesiae, omninò infallibilis, vt sit necessè est.

¶ Cæterum, ſi hoc non obſtante hanc pietatis acceptionem negent ſententiæ, non poſſunt eam negare cultui, vt probatum eſt. Cumque ex altera parte, vi ſuæ propoſitionis, in eodem veritatis æquipondio conſiſtant pia ſententiæ, & cultus, confiteri neceſſariò debent; aut in ratione certitudinis, tam cultum, quam ſententiæ eiſdem eſſe veritatis, ac ponderis, aut ipſorum propoſitionem eſſe apertè falſam, apertamque repugnantiam involuere.

¶ Quod ſi ab hoc argumento convincuntur ſuper eſt, ſuam, vt opinionem ſenſumque retractent, ac noſtram ſententiæ, vt firmam, veram, ac certam amplectantur, eandem à nobis gratulationem recepturi, quam D. Hieronymus in ſuo Dialogo, ob aliam eiſmodi ſynceram confeſſionem Luciferiano retulit, ita eam alloquens: Gratulor, inquit, tibi, & Chriſto meo gratias ago, quod animo bono te à falſitatis ardore, ad totius orbis ſaporem contuliſti.

¶ Ad hæc fortè reſpondebunt: verū quidem eſſe pietatem hanc ſententiæ piæ, & cultus, Religioſam, eſſe quidem virtutem moralem, at ſimilem virtuti morali miſericordiæ; cumque vna, & altera dirigatur à prudentia humana, fallibili, & deceptioni obnoxia, fit, vt ſicuti alia, quæcumque virtus moralis, tali providentiæ

tiæ innixa decipi poſſit, & à parte rei eſſe de obiecto falſo; cū conſtet sæpè diſtribui eleemoſynam Religioſam, ac piæ pauperi perſonato, & qui revera talis non ſit; ita etiam in eſſe virtutis moralis, ac Religioſæ, iſta pietas non dat infallibilitatem ſuo obiecto, neque hæc ex illa rectè colligitur.

¶ Hoc argumentum ſolum apparēs eſt, nobiſque parum, aut nihil faceret negotij, cū loquatur de miſericordiæ virtute, perſonæ alicuius particularis, atque à prudentia ſingulari gubernata. At verò pietas cultus, de qua nobis in præſenti ſermo eſt, non à prudentia humana regitur, ſed à diuina, nec à dictamine priuatiæ perſonæ (quod falli vtique poteſt) ſed Summi Pontificis, vt Paſtoris Generalis; non reſpectu actionis vnius ſingularis perſonæ, ſed actionum totius Eccleſiæ, cui ex mandantur, & conſuluntur, imò & præcipiuntur. Poteſt ergo particularis quiſpiam errare, obſervando aliquid eſſe devotioſis, quod non eſt, ſed non Pontifex, nec Spiritus S. reſpectu totius Eccleſiæ. Vnde, cum pietas, de qua loquimur ſit publici cultus, declarati, ac inſtituti ab Eccleſia, taciteque, licet non de fide definiti, modo explicato parte 1. §. 7. & 8. in quo exhibetur veneratio, ac reverentia, quam Deo debemus, non poteſt eſſe errori,

ac deceptioni ſubiecta, prout probavimus ſuperius. Et ſanè, ſi quidam nuper pro concione publicè dicere non eſt. veritus, *dubitationem ſuam* (quà aiebant ſe colere, ac venerari hoc myſterium) eſſe *pietatem, & cultum Religioſum*, quo modo non id erit ipſa conſtans, ac verax affirmatio ſerè omnium Catholicorum, & Eccleſiæ Romanæ univèrſalis, & ſolemnis eiùſdem celebratio?

## §. XII.

De pietate in quantum eſt virtus moralis ſpecialis.

**D**E hac locuti ſumus i. p. §. 5. aſſignando cum S. Auguſtino, & S. Thoma eiùſdem definitionem, quam etiam Harpalegus ſupponit, proponitque ex Angelico Doctore.

Hoc igitur pietatis ſignificato ſuppoſito, redimus ad noſtras inſtancias, & dilemata, ad perſcrutandam mentem adverſariorum; an nempè pietatem hoc propoſito ſenſu, in prima illa ſua propoſitione accipiant necne? Si ſic quidem? Veritati adhærebunt, ac nobiſcū ſentient; at, eo ipſo reiicient ſuam propoſitionem primam, quà in æquali gradu collocabāt *ſententiam piam, & cultum*; cum enim cultus ſit non

non ſolum phyſicè, ac metaphyſicè, verum, & Catholicè certus, vt probatum eſt, idem ſateri coguntur etiam de *ſententia pia*. quod nolunt.

¶ Quod ſi verò ſe hoc pacto non accommodent, ediſſerant, in quo gradu collocent *ſententiam*, quia & in eodem ponere cultum debebunt; aut exaltando *ſententiam piam*, ad gradum cultus, aut detrahendo *cultum* ad ſtatum *ſententiæ*; quod & falſum eſt (ſaltem quoad nos) & contra ipſoſmet, vt iam ſæpius demonſtratum eſt.

¶ Ceterum in hac etiam acceptione huius vocis dicimus, tam *ſententiam piam*, quàm *cultum*, ſecundum ſe inſalibilem eſſe, ac certum, ita, vt nequeant eſſe falſa. Ratio prima eſt, quia *cultus, & ſententia* (quã vocamus *pietatem*, virtutem moralem, ſpecialē) habet pro principio habitum ſupernaturalem, adeoque falſibilis eſſe non poteſt, quia hoc pacto Deus foret author erroris, cum ſit author unicus illius habitus. *Secunda*, quia eſt materia pertinens ad fidem, Religionem, & ad pietatem Chriſtianam, adeoque ordinis ſupernaturalis, cui repugnat quæcumque falſitas, vt præclare docet Ægydius Luſitanus li. 3. q. 6. art. cit. *Tertia*, quia hæc pietas eſt virtus moralis, publi-

ca, inſtituta, declarata, & uſitata ab Eccleſia in perſona  
Chriſti ad honorandum Deum. Ergo impoſſi-  
bile eſt illam poſſe eſſe falſam, ſicut abundè  
conſtat ex dictis §. 8. & alibi dicendis.

## §. XIII.

De pietate, prout vnum eſt ex donis Spiritus S.

**P**ietas, quæ eſt donum Spiritus S. ex doctrina  
D. Thomæ, primo loco veneratur Deū,  
ſecundo, Sanctos, propter ipſum. Eamque re-  
cognoscit Bandellus, falſò ſibi perſuadens ſuam  
opinionem eſſe donum pietatis, non verò ſenten-  
tiam noſtram, cui etiam accedit Harpalegus.

¶ At dicant nobis hi Authores Anonymi  
primæ illius propoſitionis, ſi in illa loquuntur  
de hac pietate, vt eſt donum, aut non? Si ita? No-  
ſtrum aſſequimur intentum, quia ijs iam pro-  
bavimus, & mox probaturi ſumus, illam eſſe  
Theologo-Metaphyſicè certam; ſed dum no-  
bis hoc pacto ex vna parte accedunt, ex alte-  
ra illam ſuam primam propoſitionem iã de-  
ſerunt, falſamque, ac ſibi ipſi repugnantem  
oſtendunt, cum cultum, & ſententiam in eo-  
dem certitudinis gradu ſtatuant; quo fit, vt  
detrudant cultum ad gradum, quem iudicant  
tenere ſententiam, cum tamen cultui aſſiſtat cer-  
titu-

tudo Catholica, quæ etiam nūm de eſſe vide-  
tur piæ ſententiæ.

¶ Quod ſi verò negent hanc pietatem ſen-  
tentiæ piæ, quam reputat, ac celebrat Ec-  
cleſia, vt Spiritus S. donum, adeòquè illam ex hoc  
capite neceſſariò eſſe certam, ac inſallibilem,  
id contra illos apertè probatur: Primò, quia  
naſcitur à ſolo Deo, tanquam principio ſuper  
naturali, adeòquè eſt in eodem ordine; deinde  
eſt publicæ, ſolemnisque celebritatis in Eccle-  
ſia; igitur evidenter patet illam falſam eſſe nō  
poſſe, ſed certam, ac inſallibilem exiſtere.

¶ Secundo, id ipſum vrgetur ad hominem, vt  
aliàs: quippè, vel illam negant de ſolo cultu, vel  
de ſola ſententiæ piæ, vel de vtroquè pariter? Non  
de ſolo cultu? tum ob certitudinem, quæ ipſum  
comitatur, vt hæcenus vidimus; tum, quia ſic  
Bullæ contrairetur. Sed nequè poſſunt eandè  
hanc pietatem negare piæ ſententiæ. Primò, quia vt  
probavimus §. 8. vera eſt ac certa. Secundò, quia  
hæc per primam illam Anonymorum propo-  
ſitionem eandem tenet ſtationem, ac modum  
cum cultu, ergo eandem quoque inſallibilita-  
tem participabit.

¶ Denique negare illam non poterunt de  
vtroquè iunctim, primò ob probationes iam  
ſæpius factas, in favorem certitudinis ſententiæ  
piæ,

*pie, & cultus*: Secundo ad hominem, quia per ipsos æqualem gradum obtinet *cultus*, & *ſententia pia*, quo fit vt vnum è duobus Anonymi neceſſario præſtent, nempe, aut *ſententiam* attollant ad certitudinẽ *cultus*, quod dici nequit, quia multò plura certitudinis fundamenta *cultui* patrocinantur, quæ non *ſententiæ*: aut deprimant *cultum* ad æqualitatem *ſententiæ*, quod longè minus dici poteſt. Itaque patet, quoquo ſe ſectant, vt falſam convinci illorum primam propoſitionem, ſibi què oppoſitam, & attentis Bullæ verbis ſua quoque cenſurà dignam.

## §. XIV.

## De pietate devota.

**D**euotio, ſignificata per nomen pietatis, ait S. Thom. ſupra citatus §. 5. eſt actus Religionis, quo veneramur Deum, & homines propter ipſum. Hic iterum ſubit animum rogare ab Authoribus primæ propoſitionis, num loquantur de iſta pietate, quæ eſt deuotio, an non? Si de hac illis ſermo ſit, nobiſcum ſentiunt, fatenturque certitudinem *cultus*, & *ſententiæ*, quam quidem iã ſupra ſtabilimus, & hoc etiam paragrapho peculiariter probabimus. Quanquam adhuc ſtent contra ſe ipſos, cum hoc ipſo iam deſerant

rant opinionem ſuam; & inſuper deſtruat primam illam ſuam propoſitionem, monſtrando eſſe falſam, ac ſibi ipſi contrariam, tribuendo eandem certitudinem *ſententiæ*, ac *cultui*, quam tamen diſparem eſſe oſtendimus.

¶ Quod ſi verò hanc pietatem nolint in prima illa propoſitione uſurpatam, neceſſè eſt, vt nobis dicant, ſi illam negent *ſoli ſacro cultui*, aut *ſoli ſententiæ piæ*, aut æqua ratione *ſi rari*? Non *ſoli cultui*, quin contraveniant declaratiõni Pontificiæ, varijsque ſe involvant Theologicis cẽſuris, ortis ex Bulla, & alijs principijs, ſuperius tactis. Ad hæc cum in prima illa propoſitione *cultum*, & *ſententiam piã* æqualiter cõiunxerint, quidquid negaverint de *cultu*, & de *ſententiã* negare oportebit, & viciffim, quod negaverint de *ſententiã ſola*, & de *cultu* negare neceſſè erit, ni in conſequentiã notam velint incurrere. Adde negationẽ *cultui* applicatam, præterquam quod falſa ſit, inſuper mereri cẽſuras alias iam inſinuatas, ſtatimque oſtendatur amplius impoſſibile eſſe de *cultu ſolo*, aut *ſententiã ſola*, & conſequenter nec de *ambobus* negari id poſſe. Nam vrget ipſos argumentum ad hominem, ex quo conſtat quod collocando in eodem gradu *ſententiam*, & *cultum*, attolletur *ſententiã* ad gradum *cultus*, & *cultus* ad gradum

*sententia* detrahetur. Vnde quidquid hæc in parte circa *sententiam* *piam* Anonymi isti statuerint (secundum sensum, aut *Bandelli*, aut *Coyetani*, aut *Harpalegi*, aut Romanorum *Libellatorum*) subiectum erit varijs gravibusque censuris, tum Theologicis, tum Apostolicis, maxime, deprimendo pietatem, ac veritatem. *cultus* ad sensum, & *opinionem* *Bandelli*, ac *Coyetani*, &c. Ex quibus iam apparet, tum falsitas istius primæ propositionis, tum & pugna eiusdem adversus se ipsam.

¶ Superest probatio certitudinis *pietatis* huius appellatæ *sententia* *pie* in particulari, quæ desumenda erit ex argumentis duorum §§. *precedentium*, nimirum quod hæc *pietas* *deuota* nascatur ex Deo, vti à principio *supernaturali*, adeoque sit eiusdem ordinis, quod præterea sit ad fidem spectans, denique institutionis *publice* factæ ab *Ecclesia*, in qua solemnem, ac *universalem* cultum, seu solemnitatem obtinet, etiam ex *precepto*. Ex quo fit, vt ei intrinsecè repugnet, posse esse falsam, adeoque eius certitudo est Theologico-Metaphysicè infallibilis, ac indubitata.

De pietate, quæ dicitur institutio Ecclesiæ.

Parte 1. §. 6. adnotavimus S. D. Nostrum Alexandrum in suo diplomate, ipsam *institutionem* officij, solemnitatis, & festi *Immaculatæ Conceptionis* vocare *piam*, *deuotam*, ac *laudabilem*, &c. quæ proinde simili ratione in quæstionem cadit, an videlicet adversarij in sua illa prima propositione de ea loquantur, illamque admittant, an non? Si sic iam obtinimus; quandoquidem isthæc *pietas* certitudinem obtinent Theologo-Metaphysicam, vt iam supra probavimus, moxque amplius probaturi sumus: quamquam, etiam hoc supposito adhuc falsa esse deprehenditur prima illa Anonymorum propositio, sibi que ipsi adversa, vt diximus, idque ob æqualem certitudinis gradum *cultui*, ac *pie sententiæ* absque discrimine ab illis attributum.

¶ Si verò hanc *pietatem*, a prima illa sua propositione reijciant, restat semper aperendum, an *soli sententiæ*, an *soli cultui*, an *ambobus* simul cā negēt? Et ita cōtra eos redibūt omnia argumenta, hactenus in alijs *pietatis* acceptionibus à nobis producta: è quibus patenter admodū

elucescit, tam falitas, quã repugnantia primæ illius propositionis, propter differentiã gradua-  
le *n cultus, & sententiæ piæ*, sæpius iã inculcatã.

¶ Probatio verò certitudinis *Meta physice*, quã *piæ sententiæ* iuxta præsentem *pietatis* acceptionem inesse asseruimus, accipitur ex principijs superius positis, nẽpẽ de *supernaturalitate* illius, tum *in se*, tum etiam in suo *principio*: item ex pertinentia eiusdem ad fidem, pietatem, ac Religionem: deniquẽ ex cultus huius, *publicitate*, ac solemnitate; in quibus iuxta communem sententiam, impossibile est latere falitatem, vti ostensum est *supra* §. 8. & alibi tractatu proprio docebitur ex instituto.

## §. XVI.

De pietate, quæ est charitas.

**D**iximus à *S. Augustino*, ac *D. Thoma*, charitatem, ac eius opera passim appellari *pietatem*; quibus adiungimus auctoritatem *S. D. N. Alexandri VII.* qui in hoc Apostolico suo Breui hanc *pietatem* sententiæ, & cultus celebrari precipit, eiquẽ à nemine contradici iubet sub interminatione poenarum ibidem propositũ, idque ob conservationem *pacis, ac unionem spiritus in vinculo charitatis*. Cupientes (inquit) in *Christi*

*grege unitatem spiritus in vinculo pacis.*

¶ Hoc supposito respondere nobis debent Authores Anonymi *primæ* illius propositionis, si in illa *pietatem* sumant, modo iam recensito, an secus? Si ita? Veritati quidem adstipulantur; verum adhuc hærent in salo, nec se evolvunt ex illis periculosis syrtibus in quas eos cætera ipsorum responsiones (quarum vt reor aperte convicti sunt) impulerunt.

¶ Si verò non loquantur de hac *pietate*, eamque similiter negent, instamus, cui eã negent? *Solinẽ cultui? An piæ sententiæ soli? An utrique?* Quidquid dixerint, procellas contra se irruẽtes habent omnium argumentorum, iam sæpẽ ante, à nobis allegatorum, quæ repetere hic supervacaneum censemus.

¶ Nos verò volentes lubentesque huic acceptioni *pietatis* charitativæ assentimur, cuius certitudo constat, manetque probata, non modo argumentis, superius §. 8. adductis de *pietate* Theologo-Metaphysica, verum omnibus alijs sequentibus à §. 11. hucusque propositis; quorũ repetitione benevolo lectori incommodare nolumus, ne sapor, ex gratissimã assertionẽ Immaculatæ Conceptionis *Beatissimæ Virginis* derivato insipidum quid aspergamus.

## §. XVII.

## De pia affectione.

**D**Vplicem affectionem piam agnoscunt cum Suarez Theologi in materia fidei, pietatis, & Religionis intervenire. *Primam*, quæ movetur ad libenter auscultandum cogitationibus, ac instinctibus divinis, circa eiusmodi res, easque penitiùs intelligendas. *Secundam*, quæ movetur, & roboratur intellectus noster ad dandum firmum assensum rebus fidei, utpotè evidentiam non habentibus, & ambæ istæ sunt supernaturales, veluti dona Dei, ordinata ad operationes supernaturales fidei, aliarumque virtutum ordinis supernaturalis.

¶ Quibus præsuppotis, redimus denuò ad Authores *primæ propositionis* vrgendos, atq; ab iisdem perquirimus; si in illa appellent sententiam *piam*; *piumque* cultum in sensu pietatis iam assignato, vel non? Si ita? Puræ veritati adstipulantur, uti monstrabimus, quamvis hoc pacto iam deserant, destruantque suam, ac nobis contrariam opinionem, falsamq; primam illam suam propositionem demonstrant, ob differentiam *cultus à sententia pia* sæpiùs iam allegatam, ex vna parte, & ex altera, ob certitudinis, aut incertitudinis, æquipollentiam, quam ipsi

veri-

utrique in dicta sua propositione astute, sed falso affigunt.

¶ Quod si abnuant, hanc ipsam esse *pietatem*, de qua ibi loquuntur, redibit quæstio, si negent, *soli cultui*, *soli vè sententiæ*, aut *ambobus*? Quidquid responderint seiplos iugulabunt, prouti iam sæpiùs demonstratum est. Eadem enim, & hic vrget ratio. Verùm nos (qui hanc *pietatem*, & *cultui*, & *sententiæ piæ* attribuimus) eius certitudinem sic probamus. Quidquid est ordinis supernaturalis, spectans aliquo modo ad fidem, publicamque Religionis professionem, non est possibile esse falsum, errorique subiectum, sed nostra sententia in hac acceptione *pietatis* talis est, ergo nec de potentia absoluta ei potest subesse falsitas, ergo est Theologo-Metaphysicè certa.

¶ Quod si obviarent dicendo, nõ esse necessariam *piam affectionem*, ad assensum *piæ huic sententiæ* præbendum, utpotè, qui sit conclusio Theologica, ex vna præmissa de fide, altera naturaliter certa, & evidenti, *illatione* evidenti deductus, vbi autem est *evidentia* plena, ibi non requiritur *pia affectio*, ut patet ergo. At respondetur eis *primò*, conclusionem, seu consequens non esse evidens, tametsi *evidens* sit *illatio* five consequentia, vnde hæc obiecto æquivocatio-

ne

ne laborat, & falſa eſt. *Secundo*, cum hæc ſit materia fidei, & in vno ex eius principijs interueniat obſcuritas, neceſſario concluſio inde deducta non poteſt eſſe evidens, ad eodẽque non poteſt neceſſitare intellectum ad aſſenſum, & conſequenter requirit *piam affectionem*, quæ evidentiæ defectum ſuppleat.

## §. XVIII.

*De pietate, impietati oppoſita.*

¶ Vanquam ea, quæ paragraphis ſequentibus de aliquibus *pietatis* vocibus, eorumque ſignificatiſ tractaturi ſumus, ex dictis hætenus facile poterant ab attento lectore, ſufficienter intelligi: quia tamen impendio deſideramus, vt plenè vniuerſis conſtet totum id, quod in hac materia ad examen reduci poteſt, omnique cum claritate percipiatur, Breve Pontificium ad vnguem, idẽ etiam alias adhuc *pietatis* acceptiones diſcutiemus, vt ita nulli, neque errori, neque deviationi à vero ſit locus, ipſiſquẽ authoribus *primæ propoſitionis* omnis effugij rima præcludatur.

¶ Diximus vero p. 1. §. 5. reperiri aliam *pietatis* acceptionem, in quantum videlicet eſt de re *impietati* oppoſita: quemadmodum ex-

ceſſus, & crudelitas in caſtigando (quæ oppoſitur *iuſta pietati*) vocatur caſtigatio *impia*. Ita nominamus filios *impios*, qui parentes in neceſſitate conſtitutos ope ſua deſtituunt, aut debitum honorem, cum poſſint ac debeant, non exhibent, aut eoſdem ex oppoſito irreverenter tractant. Et hoc pacto *impietatis* arceſſunt omnes Eccleſiaſtici Scriptores Camum, Nöerum patrem ſuũ turpiter exhonorantem. Eodem ſenſu aliqui Authores, vt *Almaynus*, *Clichtoueus*, necnon *Vincentius Juſtinianus*, ex *Eminentiffima S. Dominici Familia*, §. 14. *vita S. Fr. Ludovici Bertrandi* vocarunt *impiam* opinionem, quæ negat gratiam originalem Virgini. Verum nos ab hac cenſura ferenda, vltra vt debemus, libenter abſtinemus, tametſi argumenta *Bandelli*, quæ format ad probandum noſtrã ſententiam eſſe *impiam* (invertendo duntaxat terminos) in eundem apertè retorquere poſſemus, vt i cuius illius tractatum legenti facile conſtabit.

¶ Quibus prænotatis ad generalem interrogationem his Anonymis Authoribus *primæ propoſitionis* proponendam nos convertimus, perquirentes ſi fortè *pietas* Brevis Apoſtolicæ, & *noſtræ ſententiæ* per ipſos ſit hæc, de qua hoc paragrapho agimus, necne? Et primò

credimus eos non asserturos, ne videlicet asserant opinionem suam (sicut non debent) esse *impiam*, qualem nec nos aut dictam, aut scriptam hoc tempore volumus, probe memores, quod Summus Pontifex in Bulla prohibeat opinionem affirmantem peccatum originale Virginis, ut *impiam* condemnari; licet non veret quempiam tale quid de ipsa posse sentire, cum solum prohibeat id *asserere*, aut *condemnari* assertivè, ut ex Bulla constat aperte.

¶ Secundò certum videtur hos Anonymos non accipere *pietatem* in dicto sensu, ita, ut suam opinionem arbitrentur eatenus *piam*, & oppositam nostram *impiam*, ob ea, quæ supra annotavimus contra Bandellum, & alios eorum adherentes, qui sententiam *piam*, ausi sunt *impia* appellare. Tertiò, quia si accederent ad hanc *pietatis* significationem, in favorem nostræ sententiæ accommodandam, hoc ipso eidem iam tribuerent certè ac infallibilis approbationem. Cum enim eiusmodi *pietas* essentialiter sit opposita impietati (quæ nemo dubitat esse peccatum, & essentialiter falsam) clarè sequeretur iam hinc sententiam *piam* obtinere essentialem veritatem, ac certitudinem: vnde opinio illi adversantium destructa iacebit, adversariorum confessione propria damnata.

¶ Igitur, quod circa hanc *pietatis* receptionem dicimus, est, quod nos eam admittamus, ac defendamus quoad primam partem, in quantum scilicet hæc pietas est essentialiter virtus, & continet veritatem infallibilem, ut iam sæpius probatum est. Quantum verò attinet ad secundam partem, seu ad oppositionem, quæ impietati contrariatur (unicuique sensum suum interiorum intactum reliquendo) nos nec debemus, nec possumus, multò minus volumus illam asserere, tum ob modestiam, quam profitemur, tum ob reverentiam, ac obedientiam, quam Sedi Apostolicæ, eiusque mandatis debemus, modisque omnibus reipsa exhibere desideramus.

XIX. De pietate, opposita ei, quod non est pium, seu quod est non pium.

Sapientissimus Doctor P. Suarez supra §. 5. dicebat in hac significatione posse, ac debere accipi *pietatem* sententiæ *piae*, contra illos, qui tenerent Ecclesiam decipi in cultu istius mysterij, seu non inniti gravi fundamento. Nō est (inquit) pium credere Ecclesiam in hac re gravi decipi, aut falso niti fundamento.

¶ Quibus positis decantato iam argumē

tandi modo armati inquirimus, ſi per adverſarios hæc pietas (de qua loquitur prima illorū propoſitio) eius ſit qualitatis, ut Pontifex loquens de ea in ſuo Brevis eam efferat, ut pietatē veram, deceptioni minimè ſubiectam, & oppoſitam omni illi, quod non eſt pium, ſeu quod eſt non pium: quod idem eſt, ac eſſe oppoſitum ei, quod eſt errori ſubiectum, ac falſum? Atque penè certi ſumus illos non duros hoc nobis, ut fateantur Summum Pontificem de iſta pietate loqui, quippè iam conſtat ex dictis Bandelli, Cayetani, & aliorum (quos hi Anonymi videntur ſecuti) quod non agnoſcant probabilitatē alicuius momenti in noſtra pietate, & ſententia, quando eam, ut apparentem, phantaſticam, popularem, & minus piā depingunt. Deinde incredibile non eſt, admiſſuros in hoc ſenſu noſtram pietatem, quando quidem contra illam undique armati in deſenſionem contrariæ, tantam cum vehementiâ incumbant. Adde, quia ſic iam darent nobis integrè quod petimus, cum noſtram, & conſtitutionis Apoſtolicæ pietatem omnem tenere certitudinem, ac infallibilitatem faterentur. Denique, quia ſuam opinionem hoc pacto damnarent, ut falſam, errorique ſubiectam.

¶ Porro ſi negent in hoc ſenſu debere

noſtram, ac Brevis Pontificij pietatem accipi, pro prima quæſtionis, ac tituli parte, deſideramus noſſe ſi eam negent, ſoli cultui? Solivè ſententiæ piæ? An utriquè ſimul? Quia tūm eādē vi redeunt omnia argumenta priora, & ſpecialiter illud ad hominem, quibus hæctenus eos infecuti ſumus, atque perurſimus, oſtendendo falſitatem, ac repugnantiam primæ illius propoſitionis; ex eo præcipuè quod in illa æquale pondus, & cultui, & ſententiæ piæ tribuatur non rectè.

¶ Quod ſi verò hanc admittant, negentque tanrum modo ſecundam tituli partem, nēpe huius noſtræ pietatis contrarium, non eſſe pium, ſeu eſſe non pium: impetit eos P. Suarez, & alij Doctores complurimi cum Agydio Luſitano, qui firmant omnes noſtras probationes hæctenus allatas, poſtea que adferendas. Ad nos porro quod ſpectat, dicimus iſtam nos pietatis acceptionem, quoad utramque partem admitti poſſe, quia Summus Pontifex non inhibet de opinione contraria pronūtiari: quod (ſaltem in ſe) ſit non pia, aut quod in ſe non ſit pia, ſed ſolum impiam dici vetat. Nam multa adhuc niſi distantia differentiaque interſtiterit inter unius, & alterius dicti ſignificationem, ut norunt ad huc Logici.

De pietate, oppoſita illi, quod non ſatis eſt pium.

**I**n hac ſignificatione plurimi Doctorum acceperunt pietatem noſtra ſententiæ. Specialiter Ægydius Luſitanus, Corduba, & alij, aſſeverando quod noſtra pietas, eſt ratione certa, ſecura, ac vera ſit, ſicut materia ad fidem aliquo modo pertinens; contraria autem opinio periculofa, & non ſatis pia. Videatur dictus Ægydius lib. 3. q. 6. art. 1. §. 10. num. 88. & alijs locis, hoc præmiſſo.

Rogamus Authores Anonymos, vt ſuū circa hanc acceptionem nobis aperire velint ſenſum; an ſcilicet admittant, vt veram? An repudient, vt falſam? Præterea ſi falſitas, aut veritas aſſeverata, vel negata ſe teneat ſolum circa primam tituli partem? Aut circa ſolam ſecundam? Aut circa utraq; Si admittant quoad primam partem, ideſt quod noſtra pietas eo pacto ſecura, certa, ac vera ſit, vt non poſſit eſſe ullatenus falſa, eorum confeſſionem libenter admittimus, vt veram, cuius certitudinem in §. 8. & ſeqq. adſtruximus, vbi de veritate Theologo Metaphyſica ſententiæ piæ tractavimus: tametiſ argumentum ad hominem tot iam vicibus

bus repetitum, illos etiamnum revinctos teneat, ex eo, quod aut attollant ſententiæ certitudinem ad gradum cultus, aut hunc deprimāt ad ſententiæ piæ conditionem, quando quidem utrumque collocent in eodem gradu: quod falſum eſſe, ac contra ipſosmet militare, ſatis ſuperquæ hætenus comprobavimus.

¶ Nunc verò ſi, quoad ſecundam partem (quæ dicit eorum opinionem non ſatis eſſe piā in materia ad fidem ſpectante, & non nihil periculofam) negent pietatem in dicta acceptione à ſe ſumi in prima illa ſua propoſitione; tum primò eos Ægydius, & Corduba oppugnant. Secundò torqueri in eos poſſunt ea, qualiſ omnia à nobis hætenus dicta, ſpecialiter in §. 8. Si deniq; id negent de utraq; parte, oppugnabuntur omnibus argumentis pro his duabus partibus firmandis, antea concinnatis.

¶ Porro noſtra conſuſio eſt, quæ expreſſè admittimus iſtam præfatam acceptionem, quantum ad partem illius primam, quia hic eſt ſenſus Brevis Apoſtolicæ maniſeſtus, vt hætenus probavimus. Quod ſi hinc quiſpiam inferat ſecundam partem, tanquam ſequelam legitimam ex illa priori, cum Ægydio, Corduba, & alijs, id ponderato Brevis Apoſtolicæ iuxta eius mentem, ac intellectum fieri oportebit.

No-

Nobis retentio primæ partis sufficit ad rem præsentem, quâ contenti sumus.

XXI.  
De pietate, ut opposita illi quod est minus pium.

**S** Vperest ad causam adhuc discutienda illa pietatis acceptio, quæ se à re, aut opinione minus piæ sequestrat, ac dividit. Quare ab Authoribus Anonymis allegatæ in principio primæ propositionis inquirimus, an pietas hæc nostra, & Apostolici Brevis absolutè, & positivè dicenda sit pietas maior, opposita, vel non? Si annuant? Rectè id quidem faciunt, sed hoc ipso iam fatentur, primò, quod nostra pietas veritatem, ac certitudinem sæpius adductam obtineat. Confitentur secundò se à Bandello, Cayetano, necnon Harpalego discedere, ac Libellatorum mentem sequi, qui fatentur opinionem de peccato originali Virginis esse minus piam. Tertiò adhuc contra se armatum retinent argumentum ad hominem, quod ex illorum propositione nascitur, in qua ponunt cultum, & sententiam in eodem fastigio, quod, toties, falsum esse, contradictorium, & sibi ipsi repugnans ostendimus.

¶ Si negent, ad eò quæ suam opinionem minus piam appellare recusent, iam se etiam à

Li-

Libellatoribus separant, mentique, atque sententiæ ferè omnium Scriptorum, ac fidelium se se opponunt, qui communi loquendi formula, volentes illam opinionem benignè tractare, minus piam appellant; hoc, præter alia, ut suspicamur, ducti fundamento, quod nullus Pontificum eam hæctenus nomine pietatis dignatus sit, imò Bulla præfens Pontificia, nec quidem sententiæ, sed solius opinionis illi nomen tribuit. Fideles verò charitatis, ac modestiæ memores noluerunt eam severiori nota aspergere, sed tantum dicere minus piam.

¶ Opponent fortassè quod Virgo Sacratissima, B. Brigittæ locuta scribitur lib. 6. revel. cap. 55. Voluisse Deum, ut sui Amici piè dubitaret de illius Purissima Cœceptione, ut unusquisque ostenderet suum zelum, donec veritas manifestaretur, ergo contraria opinio non potest dici minus pia. Respondetur quod dubitatio illa poterat esse omninò pia eo sæculo, quo B. Virgo illi Sanctæ locuta fuerat, tantis tunc motivis, quibus contrarium suaderetur destituto, nempe Ecclesiæ Romanæ, Pontificum Conciliorumque autoritate, qui in favorem huius sententiæ festi, & cultus plurima postmodum præstiterunt. Poterat inquam esse dubitatio pia, non verò pertinacia, & contumax sensus,

Pp

post

post visam auditamque ferè totius Christiani Orbis conspirationem, Librorumque, in quibus hæc nostra sententiâ in dubium vocaretur, à Pontifice prohibitionem, & cultum, ab Ecclesia sub præcepto exhibendum. Hinc rectè Hieronymus Apolog. contra Ruffinum. *Semel, aut, ut multum, bis errare (nos dicimus dubitare) sit casus, cur prudenter errat (dubitat), & crebro?* Itaque contumaciter, & consultò dubitare velle, pietatis sibi pallium obtendere non potest, quo excusationem mereatur. Quare opinionem contrariam minus piâ esse sententiâ nostrâ, is facile perspexerit, qui expenderit attentè, quæ in totius huius opusculi nostri discursu, hætenus produximus.

Rursus posset quis opponere audaciam Harpalegi, quâ suam opinionem, & piâ, & magis piâ esse adstruebat, quàm nostram; accipiendo pietatem pro cultu, ac reverentia SS. Patribus delata: quibuscum credebat illicò sentire, eum, quisquis secum sensisset. Quæ acceptio eadem olim, & Bandelli fuit, quâ probare voluit nostram sententiâ non esse piâ, imò & impiâ. Qui sentiendi modus, tam à pietate, ac veritate alienus est, vt Pontifex in Bulla sæpius nominata, ei ianuam omnem occluserit, vetueritque, ne quis piâ porro dicere possit, opinio-

nionem contrariam Harpalegi, & sequacium, esse S. Augustini, aut S. Thomæ, vel alterius cuiuspiam Patris, aut Doctõris Ecclesiæ, eo quod sit argumētum ab auctoritate, quæ afferri nequit, nisi simul, & illicò in favorem piæ sententiæ dissolvatur, iuxta ea quæ supradiximus part. 1. §. 4. & mox dicemus.

¶ Alias oppugnationes (quæ ex Brevi Apostolico nõ eruuntur) reperiet curiosus Lector in propugnaculo Theologico inexpugnabili extracto ab Illustrissimo Dom. Episcopo Placentino, Legato in hæc causa ad SS. Dom. N. & instrumento nobilissimo, quo mediante hoc Diploma à Sede Apostolica lætantes obtinuimus, disp. 4. art. 2. sub 3. vbi nostra pietas certa, ac infallibilis, impenetrabili lorica munita proponitur, ac propositio prima cum opinione contraria omninò succumbit.

## CONCLUSIO.

**I**gitur nostra conclusio, & mens istius potremi paragraphi, sicut & omnium dictorum in hoc examine primæ propositionis Adversariorum, est, quod admittamus, & primam, & secundam partem hætenus discussæ pietatis. Primam idcirco, quia ipsius infallibilitas, ac

certitudo Theologo-Metaphysica probata manet, §. 8. & seqq. Secundam, ob allata hoc §. argumenta, & Catholicam sacri cultus certitudinem; ex quibus conclusimus nostram *sententiam* infallibilem, & Theologo-Metaphysicè, certam esse.

¶ Non tamen propterea certitudinem *sententiae pie* certitudini *cultus*, & festi æquiparamus, uti faciunt adversarij in sua illa *prima propositione*, neque hunc ad *pie sententiae* gradum deprimimus: Cum enim inter certitudinē, & certitudinem, secundum se dentur gradus, ita quoque datur differentia *in ordine ad nos*, sicut supra *part. 1. §. 6. & 7.* ostendimus. Sic veritas infallibilis est, quod anima D. Dominici Sancta sit, & quod Deus in se ipso Sanctus sit, similiter veritas infallibilis; attamen certitudine *quoad nos*, magis certa est Sanctitas Dei, quam sanctitas animæ D. Dominici, licet utraq; sit infallibilis. Et hoc quidem propter varias rationes, ac vias certitudinis, quas obtinet illa, de Deo, quæ in ista de S. Dominico deficiunt. Et quamvis *in se*, tam vna, quàm altera sit infallibilis, hallucinetur tamen graviter, qui diceret, utramquæ æquè certam esse *quoad nos*, propter rationem allatam, quæ sufficienter declarat, tam *cultum*, quàm *sententiam piam* veritates

tates infallibiles *secundum se* obtinere; quoad nos tamen vnam magis, quàm alteram certam esse oportere.

¶ Probata pariter manet falsitas illius *primæ propositionis* adversariorum (quæ hactenus fuit materia nostræ disputationis) etiam in quacunque acceptione (quæ huic voci *pietas*) attribui potest. Asserta præterea manet repugnantia, & contradictio, quæ *propositio prima* pugnat in semetipsam, ex eo quod adversarij in eadem linea, & gradu certitudinis reponant *cultum*, & *sententiam piam*; & consequenter quod ista æqualitas exposita, sit omnibus dictarum censurarum Theologicarum, & Ecclesiasticarum, iectibus, propterea quod manifestè obstat clausulis, ac declarationi Brevis Apostolici. Ex quo patet, ad quem statum contraria opinio redacta sit, quandoquidem hæc necessariò in tantum est depressa, quantum illa nostra cernitur exaltata, cum itaque certitudo *sententiae pie*, sit Theologo-Metaphysica, ut ex dictis perspicuum est, ampliusque ex *dicendis proposit. 3.* palam fiet. Consequens est *opinionem contrariam eadem certitudine certò esse falsam*.

P A R S III.

EXAMEN SECUNDÆ

propositionis.

**A**UTHOR, aut, ſi malis, Authores iſta-  
rum propositionum, qui prius cau-  
tè, tectoquè ſub æquivocationis  
ſchemate pietatis cultu inceſſerunt;  
mox, larvâ abiectâ apertè prodeunt, volentes  
vno icſtu gordium diſſolvere ſecundam propoſitio-  
nem obijciunt, ac dicere audent: -----

PONTIFICIUM HOC DIPLOMA,  
ET LITTERAS APOSTOLICAS ESSE  
SUBREPTITIAS. Quod idem eſt, ac di-  
cere: Summum Pontificem, aut deceptum,  
aut ſine ſufficienti fundamento eas eſſe elar-  
gitum.

¶ Hæc ſecunda Anonymorum propoſitio, ſa-  
nè oppugnatione hæud egebat; perſuadere ſi-  
quidem cupit, diem ſine ſole eſſe, noſque ſanis,  
apertisquè oculis nihil videre. Attamen vt ni-  
hil adverſarijs, tam malè de piorum ſynceri-  
tate meritis diſſimulemus, huius propoſitio-  
nis

niſ falſitatem demonſtrabimus, ad eò cœcè in  
apertas Bullæ cenſuras impingentem, quas,  
vel mediocriter Theologiâ tinctus præoculis  
habuiſſet. Pro eius igitur impugnatione ſit.

§. I.  
Premittantur quædam, ad ſecundæ huius propo-  
ſitionis examinationem opportuna.

**N**Otandum primò ſolere hos duos terminos  
obreptionem, & ſubreptionem ab Authori-  
bus paſſim confundi, quemadmodum, & præ-  
ſentis propoſitionis Authores feciſſe videtur,  
cum tamen revera inter ſe ſint diverſa, quod  
obreptio ſe teneat circa preces, quibus falſi aliquid com-  
miſcetur, & conſequenter in obtentam deſuper  
Bullam irrepit. Subreptio vero, tum contingat, quan-  
do ipſa rei veritas in Bulla, aut Conſtitutione celatur.  
Videatur Innocentius, cap. cum dilecta 22. de reſcrip-  
tis.

¶ Secundò notandum, quod reſcriptum (gene-  
raliter loquendo) eſt Conſtitutio, data in ſpe-  
cialibus litteris; vel eſt Principis conſeſſio,  
per authenticas, legitime expeditas, vti in Re-  
buſo videri poteſt; tract. de reſcript. num. 3.

¶ Tertiò aduertendum, in omnibus Pontifi-  
cijs Reſcriptis addi conſueſſe hanc clauſulam:

Si preces veritate nitantur, quæ subintelligitur, si fortè casu omittatur, vt constat C. ex parte 2. & c. olim, de rescriptis.

¶ Quarto tria rescriptorum genera reperiri. Primum, quando v.g. conceditur immunitas, contra ius commune; sicuti contingit in dispensatione, aut exemptione à Decimis; & vocatur *Privilegium*, seu *exemptio*. Secundum, cum Pontifex consultus de iure obscuro partium, tandem declarando respondet, quod sibi videtur cap. ex parte 1. 2. cap. sedes. 1. 5. & alijs eodem titulo. Tertium etiam rescripta vocantur litteræ pro beneficijs, & gratijs, ex sola liberalitate concedentis, cap. gratia, de rescriptis, & in 6. Clem. gratia eodem titulo.

¶ Applicando igitur hæc ad nostram Bullam, nemo inficiabitur esse partim *rescriptum*, in quo decernitur iustitia supra ius obscurum partium, & declaratur id, quod tenuit hactenus, & etiamnum tenet Ecclesia, cui cupit in eo genere Pontifex favere; partim verò est *motus proprius*, cum ipsam expediat, vt Summus Pastor, ratione sui officij, & obligationis, vt ibi fatetur in principio. Ad hæc.

¶ Expendendum quintò, in hac Bulla Pontificia duas partes reperiri, prout in prima propositione attigimus. *Unam*, in qua loquitur Pontifex

Pontifex motu proprio, & ex certa scientia, aliam ad instantiam partis.

¶ Sextò notandum, quod illi, qui litteris Apostolicis notâ *subreptionis* imponit, incumbat eius rei probatio. Et è cõtra is, qui in precibus falsum quid miscuisse accusatur, veritatem precum probare obstringatur. Quibus pro necessaria huius *secundæ propositionis* plenaq; notitia suppositis, sit.

## §. II.

Probat<sup>ur</sup> falsitas huius secundæ propositionis.

¶ Primò, quia Bulla, saltem æquivalenter cõtinet id, quod diximus de *motu proprio*, & ex certa scientia, in quæ cadere non potest *subreptio*. Deindè idipsū probat tota illa pars Apostolici diplomatis, in quo tot, ac tãta declaratur à Põtifice, sicuti & illa alia in qua recēset scãdala, dissensionis, occasione assertionis opinionis cõtrariæ ortas, quæ fuere (inter alias) causa motiva, vt hoc Breve evulgaret: multò verò magis spontè inserta illa tam veneranda S. D. N. verba: *Volentes huic laudabili pietati, ac devotioni favere, &c.* quæ omnia, manifestè apparet fuisse ex certa scientia prolata.

¶ Secundò facile est elicere rei liquidam

Qq

veri-

Veritatem ex libello supplici, seu memoriali, ab Oratore Regio super hoc Pontifici porrecto, & cum diplomate collato; ibi quippe omnino apparet, quod preces veritate nitantur.

¶ Tertio, quia innovationem Bullarum aliorum Pontificum non potuit facere ex falla relatione, unde, quemadmodum illae vere sunt, ita earum innovatio certa est, ac nata ex propria Pontificis voluntate: adeoque hac ex parte non potest subreptionis argui Alexandri Bulla, nisi quoque eiusdem vitij Bullae aliorum Pontificum cum arguantur.

¶ Quarto, quia in litteris, in forma Brevis, ad Regem Catholicum missis, aperte testatur Pontifex, quod ad ponendum remedium eiusmodi scandalis (quae ipsi ex relatione, non unius, aut alterius, nec quorumcunque hominum, sed Episcoporum, Capitulorum, Regnorum, & ipsiusmet Maiestatis Regiae abunde constabant) expediverit hoc diploma, praemis diligentibus, quas ibidem refert his verbis: Nam post invocatas repetitis precibus Spiritus S. gratiam, saepe viros, insigniter Doctos, & Religiosos auditos, habitas plures, praesertim Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Generalium Inquisitorum Consultationes, de illorum consilio, pariter, & assensu, constitutionem edimus, quam sine benedi-

benedicente Domino, conscientiarum, & animorum quieti componenda salutarem, pia devotioni profectibus accomodam, atque singulari, & in hac quoque re praecclare spectatae pietati tuae magnopere gratam fore speramus. In alijs ad Breve pertinentibus remittit se ad ea, quae viva voce ipse Legatus expositurus esset.

¶ Quae omnia satis, superque ostendunt, tum primo vix esse possibile, ut Authores huius propositionis secundae harum omnium diligentiarum Pontificiarum notitiam habuerint, quae sane pro quacunque definitione edenda erant sufficientissimae: Tum secundo, quam alienum sit ab omni fallacia, errore, ac deceptione totum id, quod S. D. N. Alexander VII. tanquam vigilantissimus Ecclesiae Pastor, per duos integros annos in hanc causam incumbens sanxerit statueritque; cui subreptionis notam attribuere insignis temeritas est.

¶ Verum, si quis sui iuris plusquam oporteat tenax insistere amplius auderet, ac dicere subreptionem, non hac ex causa, sed ex alia (quod nempe pars adversa, antequam condemnaretur, audita non sit) irrepsisse. Tum, pace eiusmodi primo rogabimus, quis ille sit, qui faciat hanc, tanquam pars oppositionem? Profecto, ut se manifestet oportet; persona enim incog-

nitā à nullo poteſt Iudice citari. *Secundò* dicat, quis nam ſe hoc loco pro parte gerat, aut cuius contrarium competat, tituluſvè peccatum Originale Virgini impingendi? Aut cuius intererat, vt ipſa peccatrix eſſet? Aut quis damnavit, quod in primo creationis eius animæ inſtanti gratia præveniretur, niſi forte antiquuſ ſerpens, cuius ipſa caput contrivit? Conticeſcunt ad hæc adverſantium linguæ; vnde, vt pro ipſiſ reſpondeam mei iuris eſt.

¶ Quando igitur eiſmodi cauſa emergit, quæ attinet ad mores vniuerſaliſ Eccleſiæ, atque ad Dei cultum Religionemque Chriſtianam, nemo tūm eſt pars, quæ pro declaratione Pontificia citari poſſit, vel debeat, vt inter cultum, & non cultum iuuet diſcernere: multò verò minùſ audebit ſe quiſ ipſi Eccleſiæ tanquam pars opponere: vnde perperam, ac immeritò de ſtudio partium in hac lite mentio inferitur.

¶ Sed nequè Eccleſiæ Hiſpaniarum hoc in negotio partium vices obierunt, vtpotè, quæ ſolū ſuæ ſanctitati repræſentabāt damna, quæ in ſuiſ ſubditis ex dictiſ ſcandalis oriebantur, petebantque, vt tanquam vniuerſaliſ Eccleſiarum Paſtor, iſ de ſalubri remedio provideret. Quare, & Summuſ Pontifex, qui hoc

hoc remedij genere per ſuam Conſtitutionem fidelibuſ voluit mederi, poterat præſcribere aliud ſi libuiſſet, quia ad ipſum ſpectat eorundem diſſidia, & neceſſitates cognoſcere, atque expèdere, quid laboranti Eccleſiæ minùſ, quid magiſ proficuum ſit. Ex quo liquet quod iſ, qui ſe cupit hac in re partem conſtituere, eiſ eſſe genij non debet, vt iudicem velit pro ſuo tantum voto, ac inclinatione decernere, ſed potiùſ, vt hic ſtatuat, quod pro officij ſibi impoſiti munere, proquè ovium ſibi concreditarum ſalute convenire iudicaverit.

## §. III.

Quanam cenſuræ Theologicæ huic ſecundæ propoſitioni ineſſe videantur.

PRimam cenſurā Theologicam dicta propoſitio mereri videtur, vt temeraria; quia Pōtificem ex Cathedra locutum, in re, ad cultum Dei ſpectante, authenticè Eccleſiæ propoſita, declarata tanquam bona, & pia, fuiſſe deceptum, ac egiſſe perperam, revera abſque graviſſima temeritate dici non poteſt: Ait autem Chriſti Vicariuſ: *Volentes laudabili huic pietati, & deuotioni, ac feſto, & cultu, ſecundum illam exhibito in Eccleſiā Romanā, poſt ipſiuſ cultuſ inſtitutionem nunquam*

quam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo fauere: necnon tueri pietatem, ac deuotionem hanc colendi, &c. Ergo asserere, Papam hac in re, aut deceptum, aut populum Christianum, quem regit, decipientem, insignis temeritas est. Quod fieri, si posset nulla sanè Ecclesiastica constitutio, ac ordinatio secuta foret, quæ ab eiusmodi frivolis calumnijs impeti non posset.

¶ Confirmatur porrò ex alijs etiam Pontificijs verbis, quibus imperat omnibus Prælati, cuiuscunque conditionis, ac dignitatis sint, vt fidelibus dictam Bullam notificent, iuxta mentem, in illa explicatam, vt intelligant in eo cultu vnanimem Ecclesiæ conspirationem, & quod hoc Breve evulget ad pacem, & concordiam stabiliendam, ac zizania dissensionum eradicanda. Ergò dicere, quod in tam maturo, ac serio negotio decipiatur Pontifex, ac simul cum illo tota Ecclesia Catholica, non potest nisi cum insigni temeritate adstrui. Videatur præterea ea, quæ diximus supra p. 1. §. 7. de rebus in quibus, nec potest decipere, nec decipi Pontifex circa mores pios Ecclesiæ constituendos.

¶ Ratio verò huius principalissima est. Quia si Pontifex deceptus, decipere posset, quo-

quoque Ecclesiam circa mores fidelium componendos, nonnè sic cæcus cæcis ducatum præstabit, trahetque secum omnes in eandem erroris foveam? Et quibus doctrinæ difficilioris panem frangere debuerat parvulis, ijs in eius vicem lapidem porriget, scorpionem, ac serpētem pro ovo, ac pisce præbebit? Quod si horū nihil evenire possit (vt reuera nequit) quid se ipsos torquent Anonymij, atque ex vno latibulo protracti in aliud diffugiunt; & postquā reliquæ illis rimæ occlusæ sunt, nunc circa huius diplomatis *subreptionem* ineptè scrupulizāt, quod tamen pro pace, ac tranquillitate Ecclesiæ, pro opportuna scandalorum medicina, pro fidelibus in sua pacifica possessione conservandis, se, non dormientem, sed *solicitudine omnium Ecclesiarum* vigilantem dedisse idem Pontifex contestatur. Ergo gravissimæ temeritatis est velle eiusmodi inertiam securitatemque Vicario Christi impingere quasi potestate sibi tradita, non *in adificationem*, sed *in destructionem* vteretur; iugemque Spiritus S. assistentiam facere inanē, cui consilij Christi fideles, sine metu (vt bonas oves decet) obaudiunt, & amplectuntur sui Pastoris vocem; ac ductum, in ijs omnibus, quæ ad suarum tranquillitatem animarum, pacemque conscientiarum spectant.

¶ Secundam censuram ex eo meretur, quod sit propositio iniuriosa omnibus Hispaniarum Ecclesijs, ac Capitulis: insimulantur enim quasi informassent Summum Pontificem, non de veritate, sed de falsitate (cum hanc ob rem subreptionem intervenisse affirmant) atque ita æquivalet dicta propositio huic: *Omnes Hispaniarum Ecclesie, cum suis Capitulis decipere Papam, falsà, ac mendaci relatione ad hoc Breve extorquendum.* An verò hæc non sit iniuria palmaris, quivis dispiciet, qui expèderit, quam acriter sètiât, vel homines infimæ fortis, si de quocunque mendacio arguantur? Et hic loci quidem tantò iniuria crescit ampliùs, quantò maioris dignitatis, ac muneris sunt, quibus impingitur; quãtoquè res, circà quas commissum dicitur (nimirum Pastorale Pontificis officium, Fidem, pietatem, ac mores totius Ecclesiæ concernentes) maioris sunt ponderis, atque momenti, ut liquet.

¶ Est rursus tertio *irrisoria* Pontificis, ex eo, quod levitatis ipsum condemnet, quasi nimis facilis fuerit in danda fide Ecclesijs, & Capitulis, Oratori Regio, Regi, ac Regnis Hispaniarum, ad danda, de exhibitis adversariorum scandalis, testimonia concurrentibus, quodque nimis credulus rem non ampliùs

pliùs ponderaverit, aliaque testimonia magis authentica non requisiverit, quò in re tanti momenti non deciperetur, hoc enim totum, vult dicere hæc *secunda* Anonymorù propositio, ut consideranti patet. An verò hæc non sit gravis irrisio Pontificis, quem (tot ac tantos præsentis Bullæ motores referentem) levitatis, aut albæ mentis arguas, obvium est cuilibet iudicare?

¶ Undè ulterius quartò hæc *secunda* Anonymorum propositio est *denigrativa* bonæ famæ, ac opinionis Principum, nêpè, quâ Prælatos, aliosquè Regnicolas iniuriâ affecerunt, eadem ipsas Regias personas (ut potè ad eandem causam concurrentes) aspergunt, eoque ampliùs, quo eorum auctoritas maiori haberi loco, apud universales Ecclesiæ Pastores solet, cum pro eiusmodi rebus instant, quæ ad spirituale emolumentum suorum subditorum pertinere noscuntur. Quod si in his quoque Summis Pontificibus illudere, atque ad populorum ruinam conspirare dicantur, quæ nigrior ijs potuit labes appingi? Et sanè, si ad similem Pontificis deceptionem concurrisset *Rex Catholicus*, non solum huic suo adèd gloriofo titulo, authoritati, zelo, ac famæ indelebilem notam inuississet, sed insuper Catholicis omni-

bus Regnorum ſuorum ſubditis graue ſcan-  
daloſorum, ac ſcandalizantium delictum im-  
poſuiſſet; alijs quidem, quod ſcandalorū cau-  
ſam dederint; alijs verò, quod per eiſmodi  
ſcandala data, iniuſtè fuerint turbati, ac  
oppreſſi, cum tamen *piam ſententiam* ample-  
ctentes ab eiſmodi delicto ſcandali actiui pe-  
nitus ſint immunes. Et è contrà ab adverſa-  
rijs, per illa, in ſua pacifica poſſeſſione reipſa  
infeſtati, atque iniuſtè turbati, vt teſtatur Põ-  
tifex, & per ſe eſt manifeſtum. Quod quidem  
piaculum ſanè maximum eſt, in materia di-  
vini cultus, Regiæ Maieltati impactum, nec  
ſimile quid vnquam, de eius integerrimo, ac  
verè Regio pectore, Chriſtianiſſimo zelo, viſ-  
ceribusque, erga ſuos vaſallos pijsſimis vllus  
rationis compos. in animum induxerit.

¶ Preter has cenſuras, adhuc alteri ſe *quintò*  
obnoxia reddit hæc *ſecunda propoſitio*; nēpè ſcan-  
dali *iniuſtè dati*: quia revera ponit ſcandalum, &  
gravem offenſionem gregi Fidelium, verbo,  
& doctrinà ſalutis, à Paſtore vniverſali, Chri-  
ſti iuſſu paſcendorum: eo quod *primò* ex hac  
propoſitione induci poſſint, vt exiſtiment à  
Papa, in materia divini cultus ſibi aliquid pro-  
poni poſſe tãquam bonum, pium ac devotum,  
laudeque, ac cultu dignum, quod tamen à re-

Citua-

ſtitudine, ac Pietate abſit longiſſimè: & con-  
ſequenter quod ipſe ſic deceptus, decipere ſi-  
militer, totam potuerit Eccleſiam.

¶ *Secundò*, ſi eiſmodi iniquus rumor in-  
ter Fideles ſerperet, novi illicò ſcrupuli exci-  
tarentur, an aliæ quoque Pontificiæ determi-  
nationes, ac ſtatuta ſuſſiſterent, in quibus ta-  
men tam exquisita, ac ſolers, vt in præſenti,  
diligentia adhibita fortè non eſt; multaque  
infirmis animis, atque ad contradicendum na-  
tis ob oriretur quæſtio, de valore earundem,  
ob metum ſimilis *obreptionis*, aut *ſubreptio-*  
*nis*.

¶ *Demum tertio* ex hac *ſecunda* Anonymo-  
rum *propoſitione* non poſſunt non excitari, atq;  
cauſari novæ diſſentiones, turbationes, atque  
inquiétudes animorum, quibus per hoc Bre-  
ve remedium adferre ſua Sanctitas omni ſtu-  
dio nitebatur, nihilquè eſſet in Eccleſia vide-  
re, quàm deforme chaos, ac digladiantium in-  
ter ſe opinionum, confuſionem.

¶ Ex quibus emanat *ſextò* alia, non mul-  
tum à prioribus abludens, dictæ *propoſitionis ſe-*  
*cundæ* interminanda cenſura, nēpè *quæſit bo-*  
*narum mentium ſeductiva*. Nam ex eius aſſertione  
anſa porrigitur bonis, ac pijs animis, vt erro-  
ribus, ac illuſionibus ſe implicent, nequè at-

Rr 2

ten-

tendant ad mandata, ac præcepta Pontificis  
 vniuerſalis Eccleſiarum Epifcopi, ac Paſtoris,  
 tametsi ea, vt publicas leges, debitis cum ſo-  
 lemnitatibus propoſita, grauiſſimisque ſub  
 interminationibus imperata, affixa palam in  
 foris, ac portis, per manus ſui Nunciij, ad Regē  
 miſſa, recepta, atque acceptata, vt authentica,  
 fidedigna, ac omnibus numeris abſoluta ema-  
 naſſe intelligant. Quod ſi cuiſmodi Bullæ, ex-  
 quiſitis adeo circumſtantijs, ac requiſitis veſti-  
 tæ moveri quæſtio *ſubreptionis* poſſit, dicant,  
 amabo, aduerſarij, quæ altera fuerit Ponti-  
 ficia Conſtitutio, tantis firmata iurium repa-  
 gulis, cui à vertiginofis hominibus ſiſ ſimilis  
 moveri non poſſit?

Examiniatur dicta ſecunda propoſitio, in quantum

Pontificio Breui contraria.

**A** Deo rigoroſæ ſunt diplomatis Pontifi-  
 cæ clauſulæ, adeoquæ claræ, vt propo-  
 ſitiones, longè minoris inſolentiæ, quàm illa  
 ſuprà adducta, eius ſeveram caſtigationem in-  
 curriſſent. Quid enim maius in illam delinqui  
 potuit, quàm vno veluti ictu totam ei vitam  
 adimere, id eſt *ſubreptitiam* (quod idem eſt, ac  
 nullis

nullis ſuis articulis ſubſtitentem, & omnino  
 nullam) proclamare? Si enim vnius clauſulæ  
 præuariicator cęſurâ meretur, à Bulla decre-  
 tam, quã non merebitur, qui totã excuſſerit?

¶ Singillatim verò ſecunda hæc Ano-  
 nymorum propoſitio Bullæ opponitur primò,  
 quia cum Pontifex præoccupaverit, ac pro-  
 hibuerit, *ne quocunq; modo excogitabili* dubitare-  
 tur circa *ſententiam piam, feſtum, & cultum*, facile,  
 vel cæco palpanti apparet, hanc propoſitio-  
 nem, ex hæc quoque parte Bullæ contraire,  
 ſaltem indirectè.

¶ Secundò cõtra illam clauſulam peccat,  
 quã prohibet Pontifex, vt nullus *ſanctus, ſive  
 piæ ſententiæ, feſto, & cultui*, ab ſuis antecelſo-  
 ribus, atquæ à ſe cõceſſos interpretari audeat.  
 Hæc verò propoſitio, non tantum in aliam ip-  
 ſos interpretationem trahit, ſed frustrari co-  
 natur totum *ſanctum* Pontificium, id eſt; Bul-  
 læ directè ſe ſe opponit.

¶ Neque aliquid pro ſe fecerint, ſi dicant  
 hoc ſe dixiſſe ipſius veritatis eruderandæ, &  
 examinandæ cauſa: quippè, & pro hoc aditu  
 ſapienter peſſulum obiecit Pontifex, vetans,  
 vt *neque ſub quouis pretextu* id fiat. Et ſi prohibuit  
 prætextum examinandæ deſinibilitatis, quid  
 ni multò ſeverius compeſcat excuſcentes ve-

rita.

ritatem eius authenticam, tantis instrumentis, ac testimonijs subsistentem?

¶ Est præterea *tertio* indirecta, imò & directa peccati originalis Beatissimæ Virginis *manifestatio*, à Pontifice tot clausulis, veritativa nititur infirmare Bullam, gratiam originalem Virginis maiori pondere, quàm vlla alia adstruentem. Neque verò assequor, quid sit *verbo, vel scripto directè, vel indirectè*, Pontificiæ Constitutioni contravenire, si hoc non est. Et quid aliud sit dicere, hominem aliquem, esse ignobilem, & plebeium, quàm asserere, executorias litteras suæ nobilitatis *subreptitias*, ac falsas esse? Profectò, si quis diceret Religiosus, S. Francisci, Dominici, Societatis Iesu, vel Canonici, aut Beneficij alicuius Ecclesiastici obtenti, cõfirmationis Bullas extare quidem, at *obreptitias* illas, aut *subreptitias* esse, nūquid non is asseret clarè, illos, Religiosos non esse, nec hos Beneficiatos. Ita sanè, qui Bullam SS. D. N. de festo cultu, & gratia præservante B. V. *subreptitiè*, aut *obreptitiè* provenisse asserit, is, & gratiam hanc Matri Virgini, & præsertionem à labe originis negare manifestè deprehenditur, vti per se patet consideranti.

Denique, quia singula minutiùs prosequi piget, vix est clausula in Bulla, cui hæc pro-

positio non adversetur, eo quod se opponat omnibus, quæ in illa continentur, referuntur, declarantur, tam circa mores, & consuetudinem Ecclesiæ, quàm circa Pontificum, prædecessorum decreta, & mentem eorundem, vti ex combinatione, ac collatione vtriusque liquet. Vndè, si cæsurarum fulmine digna esset, quando se vel vnica clausularum opponeret, quantò magis nunc subijcienda erit pœnis in eam statutis, cum se vniuersis opponat.


## P A R S I V

### TERTIA ANONYMORVM

propositio ad examen revocatur.



TERTIA adhuc examinanda restat Anonymorum illorum *propositio*, quæ (visò etiam Sanctissimi Pontificis Alexandri VII. diplomate, festo, cultui, ac piæ sententiæ de præsertione Virginis adeò vsquè favorabili, omnibusquè Christi Fidelibus, tam exoptato, vt



novam illi lucem, his verò vitam attuliſſe vi-  
deatur) nihilominus adhuc dicere non ſunt  
veriti, abſque oppoſitionis indiretè ad hanc Bullã norã  
dici poſſe adhuc pedibus conſiſtere opinionem contrariam,  
quando quidem etiamnum liceat illam interius prohibita  
ſentire, no tenere.

ſ. I.

Aduertentia.

**E** Gregios mihi videre videor Bandelli imi-  
tatores; is enim (poſteaquam librum  
ſuum Religioſiſſimo ſuo Prædicatorum Or-  
dini (cui, vt generalis tunc præerat) dedicaſſet,  
Sixti IV. Bullam, neſcio quã fronte, in fronte  
libri præfixit, quo (vt ipſe dicebat) ſic om-  
nibus obvia, oculoſque expoſita, nemo  
illius præcepta violare, limites illius tran-  
ſilire nemo auderet, cum tamen, toto illo  
libro aperte contra Bullam dimicet, planè, vt  
ineptè aſſereret, dictum Pontificè (vt hominem  
doctum) ſenſiſſe Virginem conceptam fuiſſe in peccato  
originali, tametſi Pontifex in eadem illa Bulla  
cõtrarium luce clariùs, ac validiſſimè tuere-  
tur. Et quamvis Bandellus Conſtitutionem  
alteram eiudem Sixti præ manibus habuerit,  
in qua Pontifex Officium Divinum (in quo  
Virginis Conceptio appellatur Immaculata) à ſe ap-  
probatum, & inſtitutum fuiſſe declarat, vt ex  
ratio-

ratione primò ab ipſo Bandello allegata con-  
ſtat, vbi in argumẽto ex Officio Viuino deſump-  
to, honorificam de ipſa mentionem facit, hanc  
tamen vt dicebamus non placuit Bandello  
(quemadmodum alteram) libro ſuo præfige-  
re, cauſam ipſe noverit, nequè nos fugit: Qui  
tamen vltimò demùm ingenuè confitetur,  
Sixtum; in hac ipſa Bulla ſuæ opinioni contra-  
rium ſenſiſſe.

Hæc (inquam) prorsus ratione videntur  
hi Anonymi procedere in præſentiarum; dum  
enim, ex vna parte Breve Pontificum S. D. N.  
Alexandri VII. reveretur, capitique imponunt  
quoad aliqua, quæ in eorundem favorem ſta-  
tuta videntur; ex altera nihilominus, eiudem  
vim omnem eludere conantur: Videntes  
Pontificem pro deſenſione originalis gratiæ  
piæquè ſententiæ prima in acie depugnare, non  
ſolum pro ſua perſona tantum, & vt Pontifi-  
cem, ſed adiutum inſuper, robuſtiſſima acie  
ſuorum prædeceſſorum, omniamquè ferè Ca-  
tholicorum, in hanc piam ſententiam conſpi-  
rantium, Decretis Sixti, Concilijquè Triden-  
tini animatum, Bullis Pauli V. & Gregorij  
Quintidecimi commotum, aliſque rationi-  
bus, & cauſis, quas in ſuo diplomate refert,  
omni linea, ac apice in piæ ſententiæ deſenſionẽ

ſſ

inſur-

inſurgente, opinionemquè contrariam eas in anguſtias coarctante, vt ad elidendam ei omninò animam, præter vnã definitionem expreſſam de fide deeſſe planè nihil videatur. Illudque ſolùm cavere, vt de hæreſi, mortali peccato, aut impietate aperte, ac aſſertiuè non condemnetur, alijs eam impetèdi iectibus, & minoris notę cenſuris ianuã apertam relinquēs, itavt, ſi quis dictis cenſuris eam obnoxiam proclamaret, delinqueret quidem, pœnarum in Pontificio diplomate declaratarum reus; erroris tamen, aut falſitatis, talem nec Pontifex damnat, nec argui ab alijs quoque poſſet, vt ſcitè; iam pridem notavit Doct̃or Ferdinandus Salvador de Navarra, in ſua informatione, & diſcurſu apologetico, propoſit. Multò verò minùs vetatur ſenſus interior dictarum cenſurationum, quia in eiufmodi ſe Pontifices nō immittunt. Cæterùm hi Authores, in eo toti ſunt, vt quidquid eſt Virgini favorabile reſpuant, quantumcunquè ei à Pontificibus attribuat, cum interim in ſuo iure adeò rigoroſi ſint, vt per nos ſuam opinionem ne capillo velint imminui, qui ipsis à Pontifice non adimitur. Nos verò ad propoſitionem procedamus, & quàm malè materiato pedi innitarur demonſtremus. ¶ Tres porrò tertia hæc propoſitio continet partes, quarum pri-

ma eſt: Opinio affirmativa peccati originalis Beatiff. Virg. etiamnùm hodie ſtat in pedibus. Secunda, eum, qui id attereret, nec indirectè quidem in Pontificia diplomata delinquere, Tertia horum rationem aſſignat, eo quod nimirum, etiamnùm fas ſit opinionem illam mentaliter ſentire, atque tenere. De quibus ordine erit agendum.

§. II.

Examiniatur ſenſus priorum verborum allegatæ tertiæ propoſitionis.

**V**T ſolida cum claritate procedamus, diſcutere omninò oportet partè priorè, & ſenſum huius propoſitionis adverſariæ: Opinio affirmativa peccati originalis Virginis, adhuc ſtat in pedibus, ſeu etiamnùm, vt ante ſubſiſtit.

¶ Stare in pedibus, aut ijsdem inſiſtere, res multimodè poteſt. Videlicet, aut per ſe ſola, ſana, & integra; aut inſima, vel ſemimortua, alterique innixa. Item ſtare quidem in pedibus, ſed vacillabundè, aut ſuſtentata brachijs, fulcris, aut grallis adiuta. Ad hæc poteſt aliquid ſtare in pedibus, ſicut inutilis ſtipes, terræ infixus; ſicut ſtatua, baſi inſiſtens; ſicut arbor, ſine medulla, ſolo hærens cortice. Alijque multi ſunt

modi, qui hoc: *ſtare in pedibus* exprimant, cogitanti per facile occuſuri. Igitur, an aliquo ex iſtis modis (quanquam parum, vt reor, ad præſentem quaſtionem facientibus) effugiũ quaerere, ſuaquẽ opinionis ſalutem his pedibus confidere aduerſarij velint, ſcire deſideramus? Sic enim non conſtantem eorum animũ inſequemur compendio; & niſi nos fallat fiducia, melioribus nixi pedibus etiam aſſequemur. Hunc in finem neceſſe omninõ eſt, vt pro eru-deranda genuina ſignificatione harum vocum (*ſtat in pedibus*) ad iudicium intellectus confugiamus, eumque ſenſum teneamus, qui illas audientibus communiter menti offertur. Velle enim locutionem, quam omnes eodem modo accipiunt, in discrepantem ſignificationem detorquere, eſt ſimilem, quam de voce *pietatis* nuper habuimus, litem excitare. Stabimus itaque illi ſenſui, qui auditis his vocabulis (*ſtat in pedibus*) cuiusque animo, philantia morbo nõ laboranti primõ ingeritur. Quemadmodum igitur, cum v. g. audimus (totum ius, quod Rex habet ad Regnum N. *ſtat in pedibus*.) mox intelligimus, Regem nihil iuris perdidiffe, nequẽ in poſſeſſione, nequẽ in proprietate, neq; in regalibus, nequẽ in obedientia, & obſervantia, cultu, tributis, &c. detrimentum aliquod paſ-

paſſum eſſe; ita hoc ipſum etiam ſignificare debet hæc *tertia aduerſariorum propoſitio*, videlicet *opinio de peccato originali Virginis ſtat in pedibus*, id eſt, poſt S. D. N. Alexandri conſtitutionem nil penitus iuris perdidit, nil paſſa eſt detrimenti, vegeta, & vigorofa, vt prius. Quod, quã falſum ſit, vel obvijs poteſt manibus palpari.

¶ Verum quidem eſt, ac dici ſine falſitate poteſt, eum ſuis *pedibus* miti, ac incedere, qui quomodocunque ijs ingredi poteſt, tametſi æger alioquin, ac infirmus ſit: at in materia iuris, tituli, & actionis *ſtare in pedibus*, dici non poteſt, quod in eo genere infirmum eſt. Vnde nequit dici *ſtare in pedibus*, ſtatus, honor, aut nobilitas alicuius, de quorum veritate diſputatur, nec dominium, quod ferẽ totũ alteri obæratum eſt; nec ditioes acciſæ, aut alijs prætenſioni ſubiecte. Quia *ſtare in pedibus*, omnimodam horum omnium designat immunitatem. Quocirca, qui aſſerit, opinionem adſtruentem peccatum originale Virginis, iuſquẽ totum, quod olim contra eius omnimodam puritatẽ ſibi aduerſa pars arrogaverat, adhuc *ſtare in pedibus*, is dicit totum ius (quod habebat hæc opinio, antequã de ea Pontifices decerneret, vt à fidelibus audiretur, de ea diſceptaretur, pro-

poneretur publicè, ac prædicaretur) etiam nū  
hodie cum indemnitate subsistere; Hoc autem  
dici omninò nequit, quippè hac tempestate  
longè alio in statu reperitur dicta opinio, vel  
ipsorum adversariorum confessione, quam  
fuerit ante Sixtum IV. manus namque tunc,  
pedesquè imò, & linguam obtinebat, prius-  
quam is Pontifex suas contra illam constitu-  
tiones edidisset.

¶ In alio etiã statu versatur, quam fuerit  
ante Concilium Tridentinum, quod dictas  
constitutiones innovavit, & per sua decreta  
sequestravit Virginem à labe originis, maiore  
parte Ecclesiæ (vt nobis asseverat Pontifex)  
piam sententiam amplectente. Et porrò est in  
alio statu hodie, quam fuerit ante Bullã Pau-  
li V. qui prohibuit dictam opinionem de pec-  
cato originali Virginis publicè doceri, aut  
pro exedris proponi. In alio demum, quo fuit  
ante Bullam Gregorij XV. qui ad eò strictum  
oppositæ parti silentium imposuit, vt & in cõ-  
versationibus particularibus de peccato ori-  
ginali differere vetuerit: tam miserè iam tum  
subsisterat, vt nequè de ea loqui licuerit.

¶ Pupugit eos, sine dubio, sic omni foro  
exutos, eoquè ampliùs, quando insuper ex of-  
ficio Divino vocabulum sanctificationis (quo  
adhuc

adhuc Virginis culpam astute involuebant)  
idem Pontifex expunxit. Vndè si quis dicere  
nunc auderet opinionem, peccatum originis  
Virgini attribuentem, ita stare in pedibus, prout  
ante Gregor. XV. subsistebat, is pari falsitate,  
ac arrogantia, magno cum scandalo offension-  
nequè priorum Pontificum sancita prote-  
reret. Occurrit hoc loco sanè opportunè,  
quod D. Hieronymus Epist. 81. ad S. Augusti-  
num scribit: *Multi, inquit, utroque claudicant pe-  
de, & ne fractis quidem cruribus inclinantur, habentes  
affectum erroris pristini, cum prædicandi eandem non ha-  
bent libertatem.* Cum igitur cõstet adversarios,  
& prædicandi opinionem suam, & de ea lo-  
quendi libertate exutos, solo affectu, ac interi-  
ori sensu suæ opinioni adherere, contingit,  
eos, iuxta hunc S. Doctorem in vtramque par-  
tem claudicare, & (cruribus, iam succisis) ad-  
huc Ecclesiæ, & Pontificum sensui nolle incli-  
nari.

¶ Præterea falsam esse hanc tertiam Ano-  
nymorum propositionem probatur primò, si enim  
opinionè illam stare in pedibus accipiatur, quã-  
tum ad eius essentiã spectat, contra est: quia  
essentiã alicuius opinionis nihil est aliud, quàm  
ipsum illius esse, quod habet in conceptu, &  
æstimatione hominum. At Breve Apostolicum  
aper-

apertè declarat opinionem affirmantem nul-  
lum habere eſſe in æſtimatione ferè omnium  
Catholicorum, vtpotè ſententiæ piæ, toto  
animo adhærentium; multò verò minùs in iu-  
dicio Eccleſiæ Romanæ, quippè quæ à pluri-  
bus iam ſæculis, celebravit, hodiequè celebrat  
gratiam originalem cæleſtis Reginae. Ergo nõ  
poſſe dici *ſtare in pedibus*, hæc opinio quoad ſuam  
eſſentiam.

¶ *Secundò* dici nequit illam opinionem  
conſiſtere in pedibus, quoad vim, vigorem, virtutem,  
ac robur; quã enim hæc in parte debilis, ac flac-  
cida ſit, nemo eſt qui ex collapsis eius funda-  
mentis non videat.

¶ *Tertio*, neque conſiſtere in pedibus dici po-  
terit, quoad ſuos effectus, & operationes, eo quod  
neque per ſe, neque per alios quidquam ope-  
rari poſſit omni externo vitali, ac ſenſibili effe-  
ctu deſtituta, ſolaq; ei relictã halitus ſupremi  
carentiã, quia videlicet nec dum eſt vltimã  
expreſſæ definitionis ſententiã percuffa.

¶ *Quarè*, neque dici poſſe *ſtare in pedibus*,  
quoad qualitates; nulla ſiquidem bonarum, ea-  
rumvè affectus cernitur, qui eam plauſu, æſti-  
matione, honorequè dignam efficiant, quin ex  
adverſo propter ſcandala, ex ipſius aſſertione  
oriri ſolita adeò omnibus exoſa reddita eſt.

vs

vt (etiam ſecluſis decretis Apoſtolicis) eam ne-  
mo ferre, neque audire velit. Nequè quoad  
quoad eſſe *quantitativum* ea opinio ſtat in pedi-  
bus, eo quod tam arctis ſit circumſcripta ter-  
minis, atquè in tantis redacta anguſtiis, vt ſe  
ipſam erubefcat, neminem ſui ſequacem, nul-  
lum apertè marte deſenſorem habeat, habe-  
re vè poſſit, omni loco, ac ratione extorris,  
nulli ſibi hoſpitiõ, præterquam, in paucorum  
vmbroſa imaginatione donata. Quod ſi hoc  
eſt *ſtare in pedibus*, quid ſit iacere, proſtratumq;  
decumbere, nos fanè neſcimus. Timemus pro-  
fectò, ne longum curſum hiſcè ſuis pedibus mixta  
non teneat, unde longè præſtabilius foret cre-  
ditam cum pavore cervicem demittere, atquè  
ex horum cõtemplatione pedum, vanarum cõ-  
ponere orbem plumarum, quàm ſe frivole ia-  
ctare de eo, quo, omnium iudicio, fracta hæc  
opinio eſt deſtituta.

¶ *Porro* ratio à priori horum omnium  
eſt, quia *pedum* loco (qui aliquam opinionem  
ſtabilem reddunt) duo ſunt principia: Alterũ  
extrinſecum, quod eſt *authoritas*; intrinſecum  
alterum, nempe *ratio*. At deſt huius opinioni  
imprimis *authoritas*, & principium extrinſecũ,  
quo poſſit fulciri; deſt *rationum* compages,  
quã poſſit ſuſtineri, quia vtrumque hoc crux

Et

ſuis



suis constitutionibus fregerunt Pontifices alij, &  
 potissimum, ac novissime S. D. N. Alexander  
 VII. (vbi constat ex illius diplomate, à nobis  
 supra exhibito, præsertim ab illis Bullæ ver-  
 bis: *Et insuper omnes, & singulos, à nobis mox ad-  
 ferendo*) adeo, vt nequè ex redemptione Christi, &  
 singularitate eiusdè, neq; ex Sacra Scriptura, SS.  
 Patribus, ac Doctoribus Ecclesiæ, illis, per  
 Summos Pontifices aditus pateat; aut permissi-  
 sum sit, quodcūque demum afferre argumen-  
 tum, cui inniti valeant; sed, vt eiusmodi ful-  
 crum ipsimet illicò confringant, argumenti  
 vim inanem esse ostendant, ac dissolutum re-  
 linquant; hisdè districtè, ac apertè mandatū  
 est. *Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas con-  
 stitutiones, seu decreta ita pergerint interpretari, vt  
 favorem, per illis aditū sententiæ, & festo, seu cultu,  
 secundum illam exhibitō fruerentur, vel, qui hanc  
 eandem sententiā, festum, seu cultum in disputatio-  
 nem revocare, aut contra ea quomodocūque directe, vel  
 indirectè, aut sub quocūque prætextu, etiam de similitu-  
 tudinis eius exanimandæ, siue Sacra Scripturam, aut  
 Sanctos Patres, siue Doctores gl'iosos, vel inter-  
 pretandi; denique alio quouis prætextu, seu occasio-  
 ne, scripto, seu voce, loqui concionari, tractare, dis-  
 putare, contra ea quicquam determinando, aut asse-  
 rando, vel argumenta contra ea afferendo, & insolu-*

ta relinquendo, aut alio quouis excogitabili modo dif-  
 ferendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in con-  
 stitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere  
 volumus, & per præfatas subijcimus, etiam concionandi,  
 publicè legendi, seu docendi, & interpre-  
 tandi facultate, ac voce actiua, & passiva, in quibus-  
 cunque electionibus eo ipso absque alia declaratio-  
 ne privatos esse volumus, necnon ad concionandum,  
 publicè legendum, docendum, & interpretandum, per-  
 petue inhabilitatis pœnas, ipso facto incurrere, absq;  
 alia declaratione, à quibus pœnis, non nisi à Nobis  
 ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus  
 absolui, aut super ijs dispensari possint; necnon  
 eosdem alijs pœnis, nostro, ac eorundem Romanorum  
 Pontificū successorū nostrorū arbitrio infligendis pariter  
 subiacere volumus, prout subijcimus per præfatas, in-  
 novantes Pauli V. & Gregorij XV. superius memo-  
 ratas constitutiones, siue decreta. Ac libros, in qui-  
 bus præfata sententiā, festum, seu cultus, secundum  
 illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocū-  
 que, vt supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu  
 locutiones, conciones tractatus, & disputationes contra  
 eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum de-  
 cretum edita, aut in posterum, quomodolibet edenda  
 prohibemus, sub pœnis, & censuris in indice librorum  
 prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia de-  
 claratione pro expressè prohibitis haberi volumus, &



damnamus. Hæc omnia S. D. N. Alexander Sep-  
timus, ex quibus manifestè patet opinioni cõ-  
trariæ non solum omnem ( cui nixa incedere  
valeat) contractum esse pedem, verum etiam,  
cetera omnia, ablata organa, membra, ac in-  
strumenta, quibus exterius actio quæpiam  
vitalis adversum piam sententiam, festũ, cul-  
tum, & vtriusque obiectum queat manifesta-  
re. Falsum igitur est opinionem contrariam,  
etiamnum hodiè stare in pedibus.

¶ Quod si dicant illam adhuc pedibus  
suis stare, quia eam mente tenere permittuntur, ipsam-  
que abijcere consilidur duntaxat, non mandatur, sed  
de hoc quid sentiendum sit §. 4. & fortè opus-  
culo speciali tractaturi sumus, sanè complu-  
res SS. PP. ac Theologorum, eam opinionem,  
cui publico Ecclesiæ interdicto os clausum est,  
extinctam reputant, non vivam ( quoddam  
enim vitæ genus est posse in publico audiri,  
calamo, lingua palam defendi) eo ferè modo,  
quo dixit S. Iacobus: *Eidem sine operibus mortuam  
esset cum haec tamen inter vtrumque differen-  
tia, quod fides in animis fidelium per bona  
opera possit reviviscere, hæc autem opinio  
nunquam possit, tum quia falsa est (vt iam pri-  
dem pronuntiavit doctissimus P. Suarez tom. 2.  
in 3. p. disp. 3. §. 5. & alij communiter) cuique*  
ex

ex omni parte veritas repugnat, vt ostensum  
est supra p. 2 §. 8. & seqq. Tum etiam, quia ad-  
versus ea, quæ hactenus à Pontificibus, & ipsa  
Ecclesia contra illam sunt decreta, ac in favo-  
rem *sententiæ piæ, & festivi cultus*, facta, gesta, at-  
quæ statuta, nullo vnquam tempore eorum  
successores declaraturi sunt, aut definituri,  
quandoquidem Spiritus S. per illos loquens  
sibi ipsi contradicere nullatenus potest. *Non  
enim est in nobis, est, & non est* ( dicebat Adria-  
nus II. Papa ad Basilium, & Leonem scribens)  
*ab illis quippè Sanctissimis constitutis, quæ, vel Apo-  
stolica memoriæ decessor noster Papa Nicolaus ante  
salubriter sancxit, vel nos postea dispensatoriè protu-  
limus, nulla motione, vel mutatione discedemus, aut  
ad dexteram, vel sinistram, quoquo modo declinabimus.  
Quæ videlicet tota iam dudum probavit Ecclesiã, &  
inmutata seruanda, nuper gestum vniuersale Conci-  
lium statuit. Neque enim nobis moris est, vt pro li-  
bito proprio, paternis sanctionibus abutamur.* Hæc  
Adrianus Papa, ad rem præsentem per oppor-  
tuna.

§. III.

Roborantur dicta ex Concilio Lateranensi primo.

**N**E fortassis (quæ paragrapho superiori  
ad calcem diximus) liberius à nobis  
dicta

dicti, cuiusmodi videantur opportunum, imò  
forte, & neceſſarium fuerit illa quibusdam  
roborare argumentis, ex præclaro quodam  
documento, in concilio Lateranenſi (ſub Mar-  
tino I. celebrato) nobis exhibitio, & à Patre  
Ioanne Antonio Velazquez Soc. Jeſu, tom. de Maria Im-  
maculatè Concepta, lib. 5. diſſertat. 4. annotat. 5. a num.  
3. in hæc verba relato.

¶ Urgente (inquit) tunc temporis con-  
troverſia de vna, duabusvè Chriſti operatio-  
nibus, Paulus Patriarcha Conſtantinopolita-  
nus, parti non ſanè addictus, cum eam firmi-  
ter propugnare non valeret, vt ſuam infirmi-  
tatem commodius diſſimularet, ſive contege-  
ret, Imperatori Conſtanti perſuaſit, vt Typum,  
hoc eſt formulam fidei proponeret, quin vllam  
in illa, ſive vnius, ſive duarum operationum  
Chriſti mentionem faceret, ſed ſilentio, vtriquè  
parti in dicto excitatam controverſiam, ta-  
curnitate premi imperaret, vt eà ratione pu-  
blicè paci conſuleret. Quod re ipſa ab Impe-  
ratore præſtitum fuit, & quidem (vt ibidem  
SS. Martinus PP. refert) prævit Paulo Patriar-  
chæ (in eo Concilio Imperatori dando) Ser-  
gius eius predeceſſor, qui itidè Heraclium Im-  
peratorem impulit ad condendam Etheſim,  
& ſilentij legem, pro rixa inter Catholicos, &

Mo-

Monothelitas componenda; ſed enim cum  
hæc res ad Romanum Pontificem, tanquam  
ad Chriſti Vicarium, & Supremum contro-  
verſiarum fidei Iudicem eſſet delata; tam ei,  
quàm Catholicæ Eccleſiæ in Concilio Latera-  
nenſi, legitimè congregatæ ea ſilentij lex vehe-  
menter diſplicuit, quod, vt paci Eccleſiæ ma-  
ximè ſtuderent, iniquam tamen pacis condi-  
tionem, ſive conditionem reputarent, verita-  
tem ſilentio premere, quin in lumine, & ſuper te-  
cta diceretur, atque idè in præfata Synodo  
Romana ſub S. Martino, Secretario V. Canone  
XVII. à Pontifice, & PP. ita fuit præſcriptum:  
*Scelerofus Typus, & tacurnitate conſtringit mandans  
res noſtras, improbatas.*

¶ Hunc autem Romanæ Eccleſiæ ſenſum  
egregiè ibi expoſuit S. Maximus Monachus, &  
Martyr in collatione, cum Principibus in Secreta-  
rio. Cum enim quidam Gregorius, filius Pho-  
tini Sanctum Maximum Romæ viſiſſet, eique  
dixiſſet, ſe ab Imperatore Conſtante, de Ec-  
cleſiarum pace ſolicito directum fuiſſe ad  
Romanum Pontificem cum muneribus, vt cu-  
cum Præſule Conſtantinopolitano fœdera-  
ret, propoſito Typo (quo ſilentium vtrique par-  
ti de quæſtione mota indicebatur) Sanctus  
Maximus ſic ſubintulit: *Impoſſibile, vt opinor, eſt  
hoc.*

hoc: Non enim patiuntur Romani auferri, vna cum impietatis haereticorum vocibus luciferas. Patrum voces, vel simul veritatem cum mendacio extingui, aut cum tenebris lumen pariter dissipari. Nihil nobis (quod adoretur) erit, si diuinitas ostensurum stat. verborum ablatio. Respondente autem Gregorio: Non ablationem Sacrarum Typus efficit vocum, sed taciturnitatem, ut dispensemus pacem. Sanctus Maximus sic illi obuiam iuit: Est apud Diuinam Scripturam taciturnitas etiam demptio, Deus enim per David dixit. Non sunt loquellae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, Psalm. 18. vers. 3. Ergo nisi dicantur, & audiantur sermones, qui de Deo sunt, nec omnino sunt, secundum Scripturam. Ita Sanctus Maximus. Et vero cum subinde Troylus Patricius, & Sergius Euphradas, itidemque Theodosius Episcopus argumentationibus Maximi duas Christi operationes adstruentibus convicti, se eius sententiae subscripturos profiterentur vnum tantummodo ab ipso exposcentes, silentium, ut omnes omnino pace mutua fruerentur. Sanctus Maximus, repetitis denuo iisdem ex vate verbis, ad eorum dicta reposuit. Silentium verborum, interemptio est verborum. Per Prophetam enim dicit Spiritus Sanctus: Non sunt loquellae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; ergo sermo, qui locutione, non predicatur, nullatenus est. Subinfere-

renti autem statim Troyllo, atque dicenti: Habe in corde tuo, ut vis: nemo te prohibet. Maximus generose respondit: Sed non circumclusit Deus corde totam salutem. Haec omnia e Concilio Lateranensi sub Martino Primo, ad verbum ex Patre Ioanne Antonio Velazquez transcripsimus. Ex quibus multiplex eruiamus argumentum (simile quidem quoad firmam, seu vim sequellae, non vero quoad materiam, nam relata in casu proposito iam erat fidei articulus, qualis nondum est materia praesens de Immaculata Dei paræ V. Conceptione ad dicta superiori paragrapho mirifice constabilienda.

¶ Et in primis ex hac, Sacrae huius Synodi doctrina, illud depromimus argumentum ad demonstrandam falsitatem primae partis imò, & totius huius tertiae propositionis, nempe ex differentia, atque diversitate iudicij, quod Sancta Romana Ecclesia, Summi Pontifices, Concilia Sacra, & Sancti Patres efformant, atque evulgant, circa doctrinas oppositas, quarum alteri strictum imponitur silentium, alteri vero libera praebetur loquendi facultas. Cum igitur iudiciū Ecclesiae, & Summorum Pontificū sit infallibilis regula veritatis, & ex hoc iudicio prodierit, ac emanarit, ite-

data illa, strictissimi silentij, affirmativæ opinionis  
inimici, lex, atque decretum, ex adverso au-  
tem sententiæ piæ, & doctrinæ Sacræ, de Imma-  
culata Beatæ Virginis Conceptione, ab eadem  
liberrima sit data loquendi, atque prædican-  
di facultas, imò, & præceptum illam solemniter  
celebrandi (vti liquet, & constat ex novissimo  
Sanctissimi D. N. diplomate circa finem, ibi:  
*Vt autem hæc nostra constitutio, &c.*) Manifestum  
evadit sententiæ piæ esse omninò veram, ve-  
reque subsistentem; & è contra opinionem af-  
firmativam originalis peccati Virg. penitus  
esse falsam, nullisque veritatis pedibus insiste-  
tem, vti mox ampliùs constabit ex argumen-  
tis, magis in particulari, ex actis dicti Con-  
cilij desumptis.

¶ Secundum igitur argumentum ex eo desu-  
mimus, quod Summus Pontifex, & Supremus  
controversiarum fidei Iudex, vna cum Sacro  
illo Concilio: Lege illà silentij (vtrique parti,  
indiscriminatim impositi ab Imperatoribus,  
Constante, & Heraclio) iniquè latà vehemen-  
ter offensus, illam, vt perversam, perniciosam,  
ac malà resciderit, reprobaveritque. Ex quo  
sic: Si mala est lex, atque iniqua, & perversa,  
quæ iubet silentio premi veritatem; ergò è con-  
tra bonam, & sanctam est lex, quæ iubet loqui, ac  
publi-

publicare eandem veritatem, ergò ex adverso id,  
quod per legem aliquam bonam, & sanctam  
iubetur silentio premi, non potest esse verum, nec  
dici subsistere, aut stare in pedibus. Cum igitur  
leges Ecclesiæ, & Summorum Pontificum  
(circa materiam fidei Divini cultus, bonorum  
morum, & Christianæ pietatis versantes) sint  
veræ infallibiles, ac certæ, ita vt impossibile  
sit illas esse posse falsas, aut non sanctas (vti  
communis habet, & constans Theologorum  
sententia, & nos supra iam demonstravimus  
part. 1. §. 7. & alibi sæpè) sit, legem, quæ ar-  
ctissimum, opinioni affirmativæ imposuerit  
silentium, & è contra (vt pia sententia publice  
prædicetur) mandarunt, esse bonam, & sanctam,  
adeòq; opinionem, illam affirmativam esse om-  
ninò falsam, pedibus non subsistentem, & è  
contra sententiæ piæ esse veram, infallibilem,  
ac certam.

¶ Tertium argumentum in rem nostram no-  
bis dat S. Pontifex, & Concilium, illis editi  
decreti verbis, quibus sic statuit, & ait: *Scelero-  
sus Typus, taciturnitate constringi mandans res no-  
stras, improbatur. Quibus sic subsumimus. Sed  
Ecclesia, & Pontifices, taciturnitate (& quidē  
arctissimam) constringunt, & premi mandant  
opinionem affirmativam, piæ sententiæ con-  
tra-*

trariam. Ergò aut hic Eccleſiæ Typus, ſeu lex, & mandatum eſt *ſcleroſum*, & *reprobandum*, aut certe opinio affirmativa non eſt *res noſtra* (id eſt) Eccleſiæ, ſeu non pertinet ad materiam fidei, pietatis Chriſtianiæ, Divini cultus, bonorum morum. Cùmquè illud prius abſque impietate dici, aut cogitari non poſſit; ſit, dicendum eſſe hoc ſecundum. At hoc poſito, quo pacto dicere quis audebit opinionem affirmativam, (poſt latam illam ab Eccleſia taciturnitatis legem) adhuc pedibus ſubſiſtere?

¶ *Quartum argumentum*, ex iſdem S. Pontificis, verbis eruitur. Nam ſi *ſcleroſus*, & *reprobus* eſt Typus, ſeu lex, quæ *res noſtræ* (nempè ad fidem, Religionem, & Dei cultum pertinentes) *taciturnitate* conſtringi mandantur, ergò lex illa (quæ *res noſtræ*, non ſolum non mandantur *ſilentio* conſtringi, ſed è contra iubentur publicè prædicari, & celebrari) erit Sancta, & omni acceptione, ac veneratione digniſſima: ſed, quod tale eſt, de obiecto vero, verè, & infallibiliter ſancto, ſit oportet, & è contra falſum, & omni veritatis fundamento deſtitutũ, illius contrarium. Ergò *ſententia pia*, quæ publicè doceri, ac celebrari præcipitur, eiſquè obiectum (nempè gratia originalis Dei paræ Virginis) certa eſt, atque infallibilis, & è contra  
falſa

falſa opinio affirmativa, nulloquè veritatis pede ſubſiſtens, vtpotè, quæ per legem Sanctæ Eccleſiæ, *taciturnitate* conſtringi mandatur.

¶ *Quintum argumentum*, ex eo depromimus, quod cum adverſarij vehementer inſtitiffent, vt ob ingens *almæ pacis bonum* vtriquè parti imponeretur *ſilentium*, Sanctus Maximus Martyr Conſtanti animo reſponderit, id fieri ab Eccleſia Dei nullatenus poſſe, *impoſſibile*, inquit, *vt opinor eſt hoc*: Cuius impoſſibilitatis inſuper mox rationem dedit, vt ſtatim videbimus. Interim verò ex hoc huius Sancti Patris dicto ſic infero: Ergò totum id, quod S. Romana Eccleſia hactenus egit, atque diſpoſuit, tam circa *ſententiam piam, feſtum, & cultum, & vtriuſque obiectum*, quàm circa opinionem affirmativam peccati originalis Virginis, *fuit poſſibile*, (optimum enim ab actu ad potentiam eſt argumentum.) Atqui ſi *ſententia pia, feſtivus cultus, & obiectum vtriuſq;* non eſſent vndequaque vera infallibilia, ac certa, & è contra opinio affirmativa non eſſet omninò falſa, & pedibus veritatis penitùs deſtituta, non fuiſſet *poſſibile*, quod Sancta Eccleſia, & Summi Pontifices mandaffent publicè doceri *ſententiam piam, eiſque obiectum* (nempè gratiam originale Virginis) ſolemni, ac publico ritu cele-

brari: Et è contra opinionem affirmativam adeò rigorosa conſtringi *taciturnitate*, quãdoquidem ex vna parte iam mandasset prædicari, ac celebrari rem falsam, sacro cultu indignam; & ex altera parte iuſiſſet tacere veritatem, pedibus inſiſtentem, & conſequenter tulisset legem malam, quod utique in Sancta Dei Ecclesia factu *impoſſibile* est (vt optimè dixit Sanctus Maximus, & per se est manifestum) Ergo eo ipſo quod Sancta Romana Ecclesia, & Summi Pontifices adeò arctum opinioni affirmatiuæ indixerint *ſilentium*, palàm fecerunt vniverſis, illam omni rationabili fundamèto, & veritatis pedibus carere, quã igitur fronte Anonymi iſti dicere ſunt auſi, illam etiam inſtare in pedibus?

¶ *Sextum argumentum* (& est confirmatio præcedentium) eruimus, ex causa, seu ratione quàm Sanctus Maximus dato à se aduerſarijs reſponſo mox adiunxit. *Non enim* (inquit) *patiuntur Romani* (Pontifices) *aufferri vnã cum impuris hereticorum vocibus luciferas Patrum voces*; Ergo dum pontifices Romani non paſſi ſunt vnquam auferri *ſententiam piã, feſtum, & cultum Immaculatæ Conceptionis*, vt nec vocem *Conceptio*, aut illius proprium ſignificatum mutari (provti falſò aſſeruerunt Gravina, & ex eo libella-

bellatores Romani, ab hac noviffima S. D. N. Alex. VII. Bulla apertè falſitatis convicti) imò hæc omnia fortiter ſunt tutati, etiã præcepto pro vniverſa Ecclesia interpoſito, manifestum est, *ſententiam piã*, præſervationis B. V. gratiã conſtanter aſſerentem, hancquè vocem *Conceptio eſſe luciferam, & Sanctorum Patrum*; & conſequenter *illam eſſe veram, & de obiecto inſallibili*, ac certo; & ex aduerſo opinionem contrariam, illiusque obiectum, & *vocem Sanctificatio*, nequè eſſe luciferam, nec Sanctorum Patrum (in quorum ſinu illam dicebat olim falſò Cayetanus, & alij requieſcere) adeoque nequè veram, nequè de obiecto verò, ſed falſam, & omni veritatis, ac ſolidæ probabilitatis pede deſtitutam; quandoquidem Romani Pontifices non ſolum paſſi ſunt illam auferri, ſed & ipſi ex inſtituto per indictum ſilentium illam è medio ſuſtulerunt, imò, etiam ſub anathemate, quocumquè *excogitabili modo* manifeſtari prohibuerunt.

¶ *Septimò*, addit mox S. Maximus *non patiuntur Romani, &c. vel ſimul cum mendacio veritatem extingui*; ex quo ſic; atqui paſſi ſunt Romani Pontifices, vt extingueretur omninò vox *Sanctificatio*, & vox, ſignum, & *modus omnis excogitabilis*, quo opinio affirmativa peccati origin-

malis, Beatissimæ Virgini imputati, aliquatenus publicetur, aut manifestetur; quinimò, ut diximus ipsimet illam extinxerunt, & ut extinguatur statuerunt: & è cõtra passi non sũt, ut vox *Conceptio*, eiusque verum significatum, aut *sententia pia*, & doctrina (præsertim adstruens) vtilatenus extinguatur, aut vel minimum detrimentum pateretur, imò illam publicari, ac celebrari mandarunt *volentes illi fauere, illam tueri*, &c. ut ait Sanctissimus Dominus noster. Ergò signum est, illam opinionem haberi ab Ecclesia, ut falsam, sententiam verò piã, tanquàm veram, infallibilem, ac certã. An nẽ autem falsitas, & mendacium (de obiectivo hic loquimur) pedes habeat, quibus subsistat, aut alicubi perstet, ipsi iudicent?

¶ Octauò, addit idem Sanctus, *non patiuntur Romani inquit, &c. Cum tenebris lumen pariter dissipari*. Quibus verbis innuitur, quod Ecclesia Sancta, & Summi Pontifices illam opinionem, aut doctrinam, quam publicari vetant *tenebrosam*, & *tenebras esse* declarent, & ex aduerso, doctrinam, quàm publicari mandant, & ipsi prædicant, ac celebrant, tanquàm *luciferam*, imò ut *lucem* venerentur, & ament. Cùm igitur, ex vna parte *lux*, & *tenebræ* sibi opponantur

con-

contradictoriè ( hæ enim sunt privatio illius) & aliundè in confesso sit apud omnes, in materia doctrinæ per *lucem* significari *veritatem*, *falsitatem per tenebras*, sit, ut Ecclesia, opinionem, quam publicari vetat, eo ipso esse falsam, veritatis privationem, & pedibus veritatis carentem declaret; & è contra doctrinam, quàm prædicari, ac celebrari solemniter mandat, eo ipso esse veram, ac certam demonstret; mandat autem publicari, & celebrari doctrinam, & præsertim Beatissimæ Virginis, & vetat publicari vlllo signo externo opinionem affirmativam peccati originalis Deiparæ Virginis. Ergò *illa lux est*, veritas est, infallibilis, ac certa est, & è contra *hæc est tenebræ*, veritatis carentia, falsitas, omni verò veritatis pede destituta.

¶ Nonò, aliam adhuc causam reddit S. Maximus, dum sic ait: *Nihil nobis, quod adoretur, erit, si diuinitus ostensorum fiat verborum ablatio*. Ac si dicat Sancta Romana Ecclesia nihil colit, nihil veneratur, nihil adoratur, celebratur, aut prædicatur, nisi quod diuinitus est aliquo modo revelatum, & ostensum, adeòquè infallibile, ac certum. Vndè, si horum fiat ostensorum ablatio, & prohibitio, seu silentij impositio iam in Ecclesia Dei nullius rei erit adoratio,

Xx

cul-

cultus, celebratio, aut prædicatio. Quo poſito ſic argumentamur; ergò dùm quidpiam in Eccleſia, & ab Eccleſia publicè colitur, adoratur, & prædicatur, illud ipſum divinitus Eccleſiæ oſtenſum, & revelatum, adeò què certum, & infallibile eſſe ſupponitur; & e contra, dùm ab Eccleſia fit alicuius opinionis, vocis, ſeu doctrinæ ablatio, omniſquè illius vetatur celebratio, & publicatio, ſignum eſt manifeſtum, doctrinam illam non ſolum non eſſe divinitus oſtenſam, ſeu reuelatam, ſed potiùs eſſe falſam, & omni veritatis pede privatam. Cùm igitur à Sancta Romana Eccleſia ſolemni, ac publico ritu adoretur, ac celebretur Immaculata Beatiffimæ Virginis Conceptio ſecundum piam ſententiam, & ex adverſo opinio affirmativa contraria, quocunquè excogitabili modo manifeſtari, aut celebrari prohibeatur, etiam ſub anathemate; rectè concluditur illam divinitus eſſe oſtenſam, infallibilem, ac certam, hanc autem eſſe falſam, & omni veritatis pede ſpoliatam. Quo igitur pacto adhuc hiſcè dicetur inſiſtere?

¶ Decimò, ait S. Maximus ſilentium, alicui doctrinæ, ab Eccleſia impoſitum, etiam apud Sacram paginam, illius doctrinæ eſſe demptionem; ſeu ablationem; eſt (inquit) apud Divinam Scripturam

ſacram taciturnitas, etiam demptio. Quod autem à Sacra Scriptura demitur, & è medio tollitur veritatis pedibus careat oportet; cū igitur ab Eccleſia opinio affirmatiua arctiſſimà taciturnitate conſtringi, ac premi iubeatur, & hæc, eodem, quo Sacra Scriptura Spiritu Sancto agatur, & dirigatur, taciturnitas, opinioni affirmatiuæ, ab Eccleſia impoſita, ab ipſa quoque Divina Scriptura (ſaltem virtualiter, & implicite) cenſenda eſt eidem iniuncta, cumque taciturnitas ſit demptio opinionis tacendæ; fit opinionem affirmatiuam eſſe falſam, & pedibus veritatis exutam vtpotè demptam, & è medio ſublata.

¶ Undecimò ait S. Maximus ſilentium, alicui doctrinæ, ab Eccleſia impoſitum, non ſolum eſſe illius doctrinæ demptionem verum etiam interemptionem, & mortem: ſilentium enim verborum (inquit) interemptio eſt verborum: Ergo ſilentium alicuius opinionis eſt interemptio, & mors eiùſdè. Cùm igitur opinioni affirmatiuæ ſtrictiſſimum ab Eccleſia ſit impoſitum ſilentium, ſequitur illam eſſe iam interemptam: & ſtare adhuc pedibus dicetur?

¶ Duodecimò, adhuc amplius quid audet S. Maximus, dum ait, opinionem aliquam (cui ſilentium indicitur) veluti annihilari, ac nullatenus

eſſe. Deus enim (inquit) per David, dixit, non ſunt lo-  
 quele, neque ſermones, quorum nō audiantur voces eorū,  
 Pſalm. 18. Verſ. 3. Ergo (infert S. Martyr) niſi di-  
 cantur, & audiantur ſermones, qui de Deo ſunt, nec om-  
 nino ſunt, ſecundum Scripturā. Et paucis interiectis:

Ergo, inquit, ſermo, qui loquutione non prædicatur,  
 nullatenus eſt; per Prophetam enim dixit Spiritus San-  
 ctus, non ſunt loquele, neque ſermones, quorum non au-  
 diantur voces eorum. Cumque hoc iam acciderit  
 opinioni affirmatiuæ, cuius voces nec audiun-  
 tur, nec evulgari vllō excogitabili modo, aut  
 ſigno poſſint. Ergo hæc opinio planè non eſt,  
 imò nullatenus eſt, vt ait S. Maximus. Quomodo  
 igitur pedibus inſiſtit?

¶ Decimotertiò, & vltimò. Cum inſiſteret  
 Troylus, Imperatoris Legatus, atque diceret  
 habe in corde tuo, vt vis: Nemo te prohibet, conſtan-  
 ter eidem reſpondit S. Maximus, id eſſe con-  
 tra Dei, morem, ac decretum, ſed (inquit) non  
 circumcluſit Deus corde totam ſalutem. Alludens vtiq;  
 ad illud Divi Pauli. Corde creditur ad iuſtitiam, ore  
 autem confeſſio fit ad ſalutem. Ex quo manifeſtè in-  
 fertur, quod Eccleſia, & Pontifices (per quos  
 Deus loquitur) non concluſiſſent vllatenus  
 opinionem affirmatiuam in ſola interiori mē-  
 tis imaginatione, ſi pedibus veritatis deſtituta  
 omninò non eſſet: Ergo cum defacto illam ed-  
 uſque

uſquè redegerint anguſtiarum, ſignum eſt evi-  
 dens illam eſſe falſam; & omni veritatis pede  
 carentem, & è contra ſententiam piam (quæ non  
 ſolum corde piè creditur, verùm etiam laudabili  
 oris confeſſione iuſſu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ  
 per totum terrarum orbè prædicatur, illiuſq;  
 obiectum (nempè præſervatio Virginis Dei-  
 paræ) ſolemni, ac publico ritu ab vniverſali  
 Eccleſia celebratur, vtique ad ſalutem, licet  
 nondum, vt rem neceſſariam ad ſalutem, ſeu  
 de fide, eſſe omninò inſallibilem, ac certam.

¶ Hæ, & ſimiles conſequentiæ, vi formæ  
 ſyllogiſticæ inferri poſſe videntur ex dictis, &  
 actis Concilij Lateranenſis, & lege taciturni-  
 tatis, ac ſilentij, contra opinionem affirmati-  
 vam, & in favorem ſententiæ piæ; habità ſemper  
 præ oculis limitatione, quam principio huius  
 paragraphi poſuimus. Nobis (cum Divo Au-  
 guſtino loquimur, lib. 7. contra Donatiſtas, c.  
 53.) autem ſit cura, ſecuræ vocis aſſerere, quod in gu-  
 bernatione Domini Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chri-  
 ſti, vniverſalis Eccleſiæ confeſſione roboratum eſt, quæ  
 verbo, & exemplo ſuo nos docet, iubetque lo-  
 qui, aſſerere, prædicare, ac celebrare, quod anima  
 Dei Matris Sanctiſimæ in primo inſtanti creationis,  
 atque inſuſtionis in corpus fuerit ſpeciali Dei gratia, &  
 priuilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti eius filij hu-  
 mani

maniſ centris Redemptoris, à macula peccati originalis præſervata immunis. Et conſequenter quod hoc ſentire, hoc loqui, hoc agere, atque tueri hoc publicare, ac ſolemniter celebrare ſit verè ſecurum; ſalutare, infallibile, ac certum; & ex adverſo illius contrarium in ſe non ſatis ſecurum; ſed falſum, & omni veritatis pede deſtitutum. Dicant modò nobis Anonymi, ubi, quo pacto, & quibus opinio affirmativa adhuc ſtet, aut ſubſiſtat pedibus?

¶ Cæterùm non eſt noſtræ mentis erga hanc opinionem eo rigore procedere, quo fortaſſe notoria illius Authorum reſiſtentia mereretur: quia nos in hac cauſa, non Iudices Quæſtionarios, ſed ſolius veritatis indagatores, ac deſenſores profiteſcemur, obediētiae Summorum Pontificum, & veri ſenſus Romanæ Eccleſiæ aſſertores, paciſque (quàm ipſa tanto impendio, ac vigilantia ſectatur) ac publicæ tranquillitatis Sectatores: licet, non gravatè accipere nō poſſimus; nos iam iteratò Sophiſticis huiuſmodi verborum involueris, ab his Anonymis ad arma provocari, animo, laudabilem conatum, ac zelum ſuæ Maieſtatis Catholicæ, vltimò ſuo effectū, & obſequio fruſtrandi. Quo, neſcio, an hoc tempore, gloriæ magnæ Matris, honori Chriſti ſervatoris, ſtabilitati

litati ſacri cultus Immaculatæ Conceptionis (ſine vlla hucusque mutatione in Eccleſiâ integrè ſemper, conſtanterquè conſervati) accidere quid glorioſius, maiuſq; poſſit: cuius inſviolata, per tot ſæcula, tot diverſarum nationum, & hominum vitâ, moribus, ſtudio, diſcretorum conſtantia, magnum utiquè apud ſani iudicij homines momētum habere ſolet, ac debet.

¶ Profectò id miraculi loco habendum eſt, quòd (etiam ſi ante Sixti tempora, ac poſt illa) adverſarij, pro pulpitis, & exedris, minis, ac cenſuris, peccatique graviffimi, ac hæreſeos in terminatione in deſinenter terruerint Fideles, Immaculatam Virginis Conceptionē, aut prædicantes, aut habitis de illa ſermonibus auſcultantes; ijquè fuerint, non quivis extrivio homines, ſed Doctorum, Sapiētumquè, ac Religioſorum opinione aliàs celebrati; nihilominus tamen immobilis perſeveraverit *Vetus hæc Chriſti fidelium pietas*, interquè ipſas perſecutionum tempeſtates ampliùs creverit, emerſeritquè. Cui Divino operi, ſanè Maieſtas Catholica hoc ſæculo pro laudabili ſuo in Virginem zelo, animoquè, Catholico Principe digno, tantum momenti attulit, ut non exhilararit ſolum Fideles per Orbem univerſos; ſed

ſed apud Cœli Reginam magni ſibi meriti coronam auxerit, dum non ſatagit tantum, vt noviter exortorum ſcandalorum cauſam Sedes Apoſtolica cognoſceret, & in eorum remedium obiectum ſacri cultus, & piæ ſententiæ apertius declararet, ſed inſuper deſtinatis ad Miniſtros ſuos varijs litteris, ac decretis, cultum, ac reverentiam erga hoc myſterium Eccleſiæ tam antiquum meliori, quo poſſet modocommendaret, promoveretquè, vt paulò infrà ex legitimis originalium copijs conſtabit.

¶ Concludimus autè hunc paragraphũ, advertendo opinionem contrariam hodiernà die nõ inſiſtere alijs pedibus, niſi illis, quibus olim miſerè deluſa, deceptaquè inſiſtebat, cùm falſò, & arrogãter aſſereret, ſe ſolam eſſe Catholicam, abſquè maculà, & rugà, & gloriæ Dei plenam: noſtram verò ſententiam eſſe hæreticam, erroneam, temerariam, impiam, ſcandalofam, & mortale peccatum. Poſtquàm verò Sixtus Quartus, Paulus V. Gregorius XV. S. D. N. Alexander VII. alijsque Summi Pontifices, imaginarios, fictitios, & luteos huiusmodi pedes (vti, & virgo ſerpentis caput) contriverunt, mirum eſt valdè, iſtos Anonymos adhuc dicere auſos pedibus ſuis cõſiſtere opinionem,  
iam

iam penè in nativum ſuum pulverem redactam.

§. IV.

Referuntur varia Decreta à Sereniſſimo Rege Catholico ad diverſos in favorem huius Myſterij expedita.

EPISTOLA MAIESTATIS CATHOLICÆ ad Proregem Aragoniæ.

R E X.

**I**LLVSTRIS Princeps de Pomblin, Locutenens; & Generalis Capitaneus meus. Complacuit Divinæ Maiestati (prout iam intellexeritis) vt Sanctiſſimus Pater Alexander VII. ad instantias (quas mediante Episcopo Placentino, Romæ Oratore meo extraordinario ſuæ Beatitudini feci) oetava Decembris anno 1661. expediret novam Constitutionem Apoſtolicam, valdè favorabilem Myſterio Immaculæ Conceptionis Beatiffimæ Virginis, & declaratoriam obiecti eiufdem celebritatis. Pro quo ſupremo largitori immortales gratias refero. Cunque tantum ſit debitum in Sanctiſſimæ Virginis obſequium ſe ſe impendendi, meaquè devotioni tam conformis, maior ſemper huius myſterij exaltatio; conſtitui ad omnes Archiepiſcopos, & Epicoſ meorum Regnorum epistoſaſ

Yy

deſti-



Examiniſ Theologici.

deſtinare, eoſdemque requirere, ac hortari, ut obſtrin-  
gant Divini Verbi Concionatores ſuarum Diceceſim  
ad præmittendum in ſermonis principio, antè vel poſt  
ſalutationem conſuetudine vniuerſali in his Regionibus  
receptam illam formulam, & elogium. Laudetur  
Sanctiſſimum Altaris Sacramentum, & Im-  
maculata Conceptio Sanctiſſimæ Virginis  
Dominæ noſtræ. Et ut præter Indulgentias (aliàs  
à Sede Apoſtolica conſeſſas, & in hac Bulla reno-  
tas) iſ qui aſſiſtent Divinis Officijs iſtius celebra-  
tis, largiantur inſuper his, qui dictam in laudem  
Virginis formulam pronuntiauerint, aut ſermoni præ-  
ſentes adſuerint eas Indulgentias, quas quilibet Præ-  
latorum reſpectiuè concedere poteſt. Item ut ijdem ex  
officio ſcribant ad Superiores Religioſorum Ordinum,  
iniungentes illis, quatenus horum omnium modo dicto  
obſeruantiam ſuis ſubditis inculcent. Et quia in Reg-  
nis huius Coronæ extant diſpoſitiones particulares,  
promouentes deuotionem huius Sancti Myſterij, impo-  
nentes etiam pœnas refractarijs (prout etiam eas in-  
iungit ipſa Conſtitutio Pontificia) eſt mea voluntas,  
ut Præreges mei, ac miniſtri particularem eius ob-  
ſeruantie curam gerant, eſi opus fore videbitur, ut  
illæ Regnorum Conſtitutiones, iterùm, ac de nouo pu-  
blicantur, faxint, ac procedant contra eos, qui contra-  
uenire auſi fuerint, modo, ac ratione iuſtitie confor-  
mi; cum ſecularibus quidem ſua vtendo iuriſdictione,  
cum

cum Eccleſiaſticis verò medijs legitimis, & in praxi  
contra inobedientes Regijs mandatis adhiberi ſolitis.  
Quantum ad hoc Regnum ſpectat, eo iam litteræ  
deferuntur, quos Prælati vos tradere oportet, &  
exequi, quod hac in re veſtri muneris erit vigilẽ  
ſemper oculum ad huius Ordinis obſeruantiam gerendo,  
certo què vobis perſuadendo, quidquid pro exaltatione  
huius Myſterij geſſeritis, id mihi ſingulari benepla-  
cito, & è contra quidquid omiſeritis, magnæ diſpli-  
centie futurum. Rectè què agetur, ſi hoc ipſum intelli-  
gant omnes mei vaſſalli: ſpes quippè me alit, quod cū iſta  
notitia creſcet hoc erga Beatiffimam Virginem obſe-  
quium, iſtaque pietas augebitur, tametiſ ea (Deo laus) in  
cordibus fidelium ſatis ſuperquè radicata ſit. Data in  
Aranjuez 23. Aprilis, anno 1662.

ALTERA EPISTOLA CATOLICÆ  
Maieſtatis ad Episcopum Placentinum  
eius Extraordinarium Oratorem.

R E X.

**R**EVERENDE in Chriſto Pater, Epicope  
Eccleſiæ Cathedralis Ciuitatis Placentinæ,  
mihi à Cõſilijs, & Romæ meus Extraordinarius Orator.  
Accepi vnà, cū veſtra Epistoſa die 12. Decembris anni  
præteriti tranſumptum Bullæ, quàm ad meam, ſtatim-

Yy 2 què

que Eccleſiaſticorum, & Sæcularium horum Regnorum  
 inſtantiam viſum fuit ſue Sanctitati expedire in fauo-  
 rem Sacraſti Myſterij Immaculatæ Conceptionis, Beatif-  
 ſimæ Virginis (cuius originale præſentavit mihi Nuncius  
 Apoſtolicus nomine ſue Beatitudinis vna cū alio Breui.)  
 Hæc ob cauſã debitas Deo gratias retuli, mādauique, vt  
 idem facerent mei vſalli, ac ſubditi, quemadmodum, &  
 vos nomine meo ſue ſanctitati eaſdem ageris (prout diſ-  
 cetis ex epiſtola incluſa) vnaque eidem declarabitis ſum-  
 mam æſtimationem, quã ego hoc diploma complector, (ſi-  
 quidem conſido eius beneficio futurum, vt non audiat  
 vox in Regnis meis, quæ exaltationem ſancti huius My-  
 ſterij aliquatenus remoretur, & feſtiuum eius cultum,  
 celebratum ſemper ab Eccleſia Romana, ac porro  
 ſolemnius celebrandum, audeat in dubium reuoca-  
 re. Demum, & vobis gratias habeo procura, ſol-  
 licitudine, atque ſolertia, in expeditione huius ſan-  
 cti negotij adhibita, bonoque exemplo, quòd Romane  
 Curie, & guſtum, quem ſue ſanctitati dediſtis, cui &  
 meum quoque repreſentare poteſtis, addendo, reſponſorias  
 meas pro ſua Beatitudine, ac Cardinali Chyſio per manus  
 Nuncij ed expediendas. In reliquis me remitto ad ea,  
 que vobis præſcribit Joſephus Gonzalez Ma-  
 triti. 24. Ianuarij, 1662.

DE-

DECRETVM REGIS CATHOLICI  
 ad ſuum Confeſſarium, M. Fr.  
 Ioannem Martinez.

R E X.

**I**NTELLEXI M. Lezanam, Ordinis Sancti  
 Dominici in Regno Aragoniæ Prouincialem in-  
 hibuiſſe Religioſis ſibi ſubiectis, ne in principio  
 concionum præmittant vſitatam illud elogium: Laude-  
 tur Sanctiſſimum Sacramentum, & Puriſſi-  
 ma Conceptio Sanctiſſimæ Virginis: Non obſtã-  
 te quòd id aliàs ex more facere conſueuerint: indulgendo  
 id ſolum illis ipſa Conceptionis die B. Virginis, & in  
 Concionibus, extra ſui Ordinis Conuentus habendis: al-  
 legando quaſdam rationes; Quæ omnia ſcandalis occaſio-  
 nem præbere poſſent, ſi ad aures populi, animoſque pertin-  
 gerent, maxime occasione præſenti, cum nouum Bre-  
 ue ſue ſanctitatis appulerit, huic Myſterio tam fauo-  
 rabile: pro quorum remedio mandauit iniungi Præla-  
 tis, ac Superioribus Ordinum, vt præcipiant ſuis ſub-  
 ditiſ, quatenus in ſuarum Concionum principio iuxta  
 conſuetudinem antiquam præmittant elogium, videli-  
 cet: Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum,  
 & Beatiffima Virgo concepta ſine peccato  
 Originali in primo Inſtanti ſue Creationis  
 præmo-

præmonendo ipſos, quòd contra omittentes id exequi  
medijs proporcionatis procedetur. Et quia confido,  
quòd adhibita veſtra curâ executio faciliorem ſit exitum  
habitura, vobis mando, vt ſerid id inculcetis  
Prouinciali Aragonia, vti & Prouinciali Caſtelle  
(quem intelligo eadem ſuos ſubditos prohibitione ob-  
ſtrinxiffe) vt pro ſuo quiſque munere id quàm exa-  
ctiſſimè obſeruari curet. Id, præterquàm, quod mi-  
hi futurum ſit gratiſſimum, admodum eſt conueniens  
ad plurimas tricas, quæ ex contrario oriri conſueue-  
runt euitandas. Matriti 10. Aprilis 1662.

## §. V.

Examinatur Cenfura Theologica primæ partis,  
tertiæ huius Propoſitionis.

**H**Æc propoſitio meretur ferè omnes cẽ-  
ſuras, quas incurriſſe præcedentem  
ſupra oſtendimus. Et primò, quidem eſt temera-  
ria: quia nullo rationabili nititur fundamento  
ad illam probandam, iuxta quamcunque tan-  
dem, quam voluerint vſitatam ſignificationẽ  
harum vocum: *Stare in pedibus*. Cùm enim abſq;  
aliqua benè fundata probabilitate, dici ſine  
temeritate non poſſit, opinionem aliquam *ſta-  
re*, aut *pedibus ſubſiſtere*, & tàm opinio affirmati-  
ua peccati, quàm prima pars tertix huius pro-  
poſi-

poſitionis eiufmodi fundatam probabilitatẽ  
pro ſe non habeat, vtpotè quam complures  
graviſſimi Authores iam olim ante Breue S.  
D.N. Alexandri illi denegarunt; poſt illud ve-  
rò omnes, ſit vtiquè, primam propoſitionis tertix  
partem temerariam eſſe.

¶ Nequè aliquod rationabile fundamẽ-  
tum ſuppedit, quo quis ſibi facultatem arro-  
get ſentiendi interius opinionem illam adhuc *ſta-  
re in pedibus*. Quia & de hoc magnoperè dubi-  
tant plurimi (de quo nos paulò infra, & alibi  
fortè ex iſtituto.) Si hic ſenſus interior plus  
aliquid affirmat, quàm præciſè, quod nondum  
ſit omninò vltimè formaliter, & expreſſè cõ-  
tra illam definitum. Plus enim ei Pontifex non  
tribuit. *Cum hoc* (inquit) *nondum ſit deciſum*; quini-  
mò exhortatur omnes ad ſentiendum contrariũ,  
cum Eccleſia, & ferè omnibus Catholicis, nem-  
pè Virginem ab Originali labe fuiſſe præſer-  
uatam; ac in ſuper mandat, vt id ſemper di-  
cant ore ac pronuncient, quando de hac ma-  
teria concionantur, ſcribuntvè argumentum  
aliquod, iubetquè ipſos rationes inquirere,  
quibus eiufmodi argumenta, in fauorem *piæ  
ſententiæ* diſſoluant. Quæ igitur ridicula hæc  
foret imaginatio, illi opinioni, tanquàm ad-  
huc

huc pedibus subsistenti velle adherere, cuius ipse argumenta, vt friuola diluisti, falsusquè es illam, tãquàm omni rationis, authoritatiquè fulcro destitutam succumbere? Igitur de primo ad vltimum, meritò hæc tertia propositio quoad primam eius partem dicitur *temeraria*, hoc est sine rationabili fundamento, vt dixit Pater Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. §. dico quartò: et quidem ante istud Breue, quando eius fundamenta erant quidem per quàm validè succussa, nec dum tamè, vt modò integrè disiecta, ac resoluta.

¶ Præterea in Theologia res trita est, dici temerariã eam sententiam, vel opinionem, quæ cõtradicit communi sensui omniũ Theologorum. Sed hæc aduersariorum opinio, & horum Anonymorum propositio pro prima parte sese opponit sensui, ac placito omnium Theologorum, Vniuersitatum omnium, omnium Episcoporum, omnium Ecclesiarum, & (vt cum Breui loquamur) ferè omnium Catholicorum: ergò in sententia communi Theologorum temeritatis notã afficietur, & quidem tali, quã fortassis maior alicui Hæteroclytæ propositioni accidere vix potest.

¶ Est porrò *seditiosa*, & *scãdalosa*, quis enim dici audiat, consistere in pedibus opinionem, Virginem

ginem Beatissimam peccati Originis cõdemnantem, qui super hoc non scandalizetur, inquieteturquè, & perturbetur? Meminisse occasionis longè leuioris sua Maiestas poterit, quando nimirum ob refixum nuper Matriti à valuis Religiosæ cuiusdam domus quoddam programma, gloriosum Immaculatè Cõceptæ Virginis titulum referens tantoperè Vrbs hæc commota scãdalizabatur, vt nisi suæ Maiestatis vigilantia ea fuisset Scheda suo loco confestim restituta, sedari populus haud potuisset. Quod si sola *omissio* formulæ, in principio sermonum vsurpari consuetæ, nimirum: *Laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum, & Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptio*, iam de facto scandala creat: quid fieret, si pro pulpito diceretur hodiè, quod opinio asserens Virginem in Originali conceptam adhuc staret in pedibus? Proclive est credere eiusmodi Concionatorem, suis è suggestu pedibus non descensurum. Igitur iure meritò dicimus, istam propositionem esse *seditiosam*, & *scandalosam*.

¶ Est præterea *piarum aurium offensiu*a: tale quippè dicimus, quòd auditus piorum hominum sufferre sine offensione non potest; quod quidem in dicta propositione omninò locum habet, vtpotè, quæ se *pia sententiæ* (quàm ferè

omnes Catholici corde, & ore circumferunt) e diametro opponit. Illam enim vocat noſter Pontifex in ſuo Breui: *pietatem, & deuotionem, nec non uenerationem, & cultum Dei.* Inſuper pios eos, qui illam amplectuntur, & defendunt. Igitur *piorum animos offendunt, qui huic deuotioni, feſtuitati, & cultui aduerſantur.* Quare, dicere, quod oppoſita opinio *ſtet in pedibus*, idem eſt, ac dicere, quod *pietas, ac deuotio cultuſque præſervationis Virginis nutet, ſuccumbat, ac inanis ſit; quod dubio procul piarum eſt aurium offenſuum.* Ad quid enim, oro tantam vim faciunt in ſua opinione fixè perſiſtendi, niſi vt *pietati bellum inferant*: ergo eo ipſo eandem offendunt, eorūquè propoſitio iure meritò notatur, vt *piarum aurium offenſua.*

¶ Eſt inſuper *illuſoria, & iniurioſa*, quia illudit, eneruatquè totum id, quod per Breue Pontificium obtentum eſt, illo ſuo dicēdi modo, quod etiamnūm *ſubſiſtat in pedibus opinio affirmatiua.* Eſt ſiquidem idem, ac re ipſa dicere, quod opinio illa nihil falcimenti amiferit, nihil paſſa ſit detrimenti, quod eodē, quos antea Spiritus gerat, ac animos, quod ſibi ad quoslibet inſultus reſponſa ſuppentant, quod nec Hiſpaniæ Regna, nec ipſa Eccleſia Catholica magnoperè habeat, cur feſtiuos applauſus,

ſus, & ſolemnitates, veluti de obtenta victoria inſtituant, quandoquidem eorum opinio vſq; huc *pedibus ſubſiſtat.* Hæc & non alia eſt, eorum verborum ſignificatio. Quo loquendi modò flocci penduntur omnia, hucuſquè in favorem *piæ ſententiæ* obtenta, cū ingēti ſanè non vulgarium hominum iniuria.

¶ Ulteriùs dici *præſumptuoſa* meritò poteſt, quia magnæ præſumptionis, & arrogantia eſt, velle ſe Eccleſiæ ſancitiſ contumaciter opponere, & quod illa caducum pronuntiat, firmum, ac ſtabile aſſerere: per clauſulas enim tam rigorofas omnia præcidit Pontifex opinionis oppoſitæ adiumenta, vt quidquid eius vel colorem, ſaporemquè præſeferat funditùs aboleuerit, locūquè imaginabilem cōtra præſervationem Virginis agendi reliquerit nullū. Non minùs igitur præſumptuoſa eſt, quàm ea, quæ quis collapſam Nabuchodonoforiſ ſtatua aſſereret *pedibus ſubſiſtere*, cruribus comminutis ſolo æquatam.

## § VI.

*Examinatur ſecunda pars huius propoſitionis, nūm hoc ſit; vel non, indirecè contra Bullam?*

**E**ST adè aperta dictæ propoſitionis contra Bullam oppoſitio, vt videatur potius

tius inſtituenda quæſtio de *directa*, quàm *indire-*  
*cta* *oppositio*ne. Ait Pontifex: Quod nulli liceat ſen-  
 tentiam piam, ſantum, & cultum, renocare in dubium; ne-  
 què dicere aliquid, contra quocunq; modò *directè*, vel *in-*  
*directè*, quocunq; *prætextu*, etiam *definibilitatis* *iſtius*  
*mysterij* examinãdæ; neq; ex occasione interpretãdi *Sacrã*  
*Scripturã* *gloſãdi* *Patres*, & *Doctores* *Eccleſiæ*, aut quo-  
 cunq; alio modo *imaginabili*; aut adducendo aliquod *ar-*  
*gumentũ* in *oppositũ* *abſque* eo, quod *difſoluatur*, ac *ſuffle-*  
*rar*: quod nihil inquam horũ liceat, quin Bullæ  
 contraveniatur, cenſuræquè incurrantur, &  
 pœnæ. Hæc ſententia Pontificis manifeſtè *trãſ-*  
*greſſionis* ream declarat: *propositionem* *aſſe-*  
*rentem*, his non obſtantibus, *ſtare in pedibus* *opi-*  
*nionem*, labem *Originalem* *Dei* *Matri* *attri-*  
*buentem*. Quia non minùs hæc *aſſertio* eſt *aſ-*  
*firmatio* *Originalis* *maculæ*, quàm hæc quæ  
 diceret: *B. V. eſt in peccato originis concepta*, ſtare  
 enim in pedibus eius peccatum, & eam illud  
 habuiſſe, in quo differunt?

¶ Porro hæc *aſſertiva* *aſſertio*, quæ di-  
 citur: *opinio de peccato Originali Virginis ſtat in pedi-*  
*bus* aliquid dubio procul de ea *aſſirmat* in *or-*  
*dine* ad aliquem *ſtatũ*, in quo velit, vt ſit. Vel  
 enim *aſſirmat*, quòd *ſubſiſtat in pedibus*, vt *certa*,  
 vel vt *vera*, vel vt *probabilis*, vel vt *dubia*: quia  
 hos pedes, & non alios invenimus, quibus poſ-  
 ſit

ſit inſiſtere. Sed nihil horũ dici poteſt de illa;  
 non ſolùm propter clauſulas Bullæ *Alexan-*  
*drinæ*, ſed neque propter eas, quas appoſuit  
 Gregorius XV. Extra controverſiam enim eſt,  
 ſi quiſtunc dixiſſet: *Opinio* (*que aſſertit B. Ma-*  
*trem in peccato conceptam*) eſt *probabilis*, eſt ali-  
 quorum *Eccleſiæ* *Patrum*: eſt *Sacræ* *Scriptu-*  
*ræ* *conformis*, &c. quod eiufmodi, dictæ Bul-  
 læ contraveniſſe, & præceptum à Gregorio ſi-  
 lentium violafſe cenſeretur. Ergò idem dici  
 debet de eo, qui dictam *opinionem* adhuc *ſtare*  
*in pedibus* aſſertit; quia hæc cum prioribus *di-*  
*ctionibus* eſt planè *Synonima*. Porro quid di-  
 cemus de eiufmodi poſt recēs *Alexandri* *Bre-*  
*ve*, in quo adedò riguroſè, ac ſeverè prohibetur  
 quocunq; *excogitabili* modo propalari, quidquid  
 quoquomodo oleat contrariam *opinionem*.

¶ Ampliùs quæro; An dicere *opinio peccati*  
*originalis Virginis ſtat in pedibus*, ſit dicere aliquid  
 in favorem dictæ *culpæ*, aut è contra in *dam-*  
*num*, & *oppositio*ne primæ *gratiæ* eiufdem,  
 vel non? Si primùm (vt fateri debent) *incurrerunt*  
 manifeſtè omnes Bullæ in *terminationes*,  
*directè* contra eam delinquentes, quæ *vetat*,  
*nec verbo*, *nec ſcripto*, quid ſimile in medium pro-  
 ferre. Si verò hæc ſuà *propositione*, nihil dicunt  
 in favorem *Originalis* *peccati*, aut cõtra *gra-*  
 tiam

riam primam Virginis, quid igitur inanibus verbis ſe, alioſquè fatigant, ineptè ingerentes adhuc opinionem oppoſitam *in pedibus ſtare*? Dicunt igitur aliquid, quo nihil dicunt, & ne quidquam dicunt, cum videntur aliquid dixiſſe: præſtabiliùs foret tacere omninò, vt aliquid dictu dignum meditari viderentur, modò ſiquidem nihil aliud agunt, quàm vt vanis vocibus aërem verberent, nubibusque ſuis veritatis ſolem obſcurantes tempeſtatem minantur, at tandem fulgura è pelui prodeunt, quibus pia fidelium corda, & ſerenum Eccleſiæ Coelū conturbare nituntur.

¶ Dicent, ſe nihil aliud velle hanc propoſitione ſua ſignificare, quàm *quòd gratia originalis Virginis, nec dum ſit definita de fide*, & ſua opinio pro hæretica nondum declarata, hocquè licere illis dicere, & prædicare. Benè habet, & nos idem dicimus, & prædicamus, ſed ſine quæſtionum involueris, offenſione, & ſcandalo. Prædicent id, ac ſcribant trabalibus litteris, per nos licet, at contineant ſe intra hos terminos, nec dicant aliquid ampliùs, quàm illis permiſſum ſit, quidquid enim plus dixerint, in directam Bullæ oppoſitionem vergit. Dicere autem *ſtare adhuc in pedibus* ſuam opinionem eſt multò plus dicere, quàm non eſſe illam hæreſeos condemna-

tam,

tam, nec noſtram formaliter definitam *de fide*. Vndè necesse eſt eos manifeſtè in Bullam impingere, quotieſcunquè hos ſuos limites, vel tantillum tranſilierint. Longè verò hinc evidentiùs probatur Bullæ indirecta oppoſitio, quæ ſine dubio committitur per terminos, qui non directè ſignificent peccatum originale Virginis; nequè primam eius gratiam apertè, ac manifeſtè impugnent; vndè per terminos obſcuros, ac verba, ad diverſas ſignificationes, & ſenſus applicabilia id egregiè efficitur. Sūt enim eiufmodi locutiones indirectæ, ſemitæ in contrarium flexæ, & *ad apparentiam*, ab intento termino deviantes; ità tamen, vt ſenſim eò certiffimè deducant. Ita Miluus ardeæ inſidiatur, longiùs enim avolat, quaſi eam nihil penſi habiturus, donec per varios flexus reductus eius vertici immineat.

¶ Sunt præterea hæ oppugnationes indirectæ gladiatoribus, Strabonibus per quàm ſimillimæ, qui, dum oculis adverſarij designant pedes, pectori ictum intentant. Rectè ad hanc rem S. Hieronymus in Apologia pro ſuis libris ad Pamachium: *Turpe tibi eſt (inquit) hoſtem dolis ferire, nō viribus; quaſi non eſt hæc ars. Summa pugnantium ſit alibi minari, alibi percutere.* Hoc itaque modo huius propoſitionis Authores Originalem noxam

in

in Dei Matre clàm tueri moliuntur, cum dicunt, opinionem affirmativam *ad hoc stare in pedibus*; & licet suum tantummodò curare videatur, quasi aliud agendo rapiunt alienum; non enim potest *in pedibus subsistere* Originalis labis defensio, nisi in terram dei ciat<sup>r</sup>ur primæ gratiæ largitio. Sicut, si quis diceret, multum adhuc differendū venit de gratia Originali Virginis. Multum in hac quæstione Patres defudarunt; interpretes Sacræ Scripturæ multa repererè hic loci, quæ eis grandes difficultates facefferent. Hi profectò loquendi modi, in homine præsertim contrariæ opinionis sunt in directæ eiusdem assertiones, eo quòd significant difficultates non superatas, ad eò què adhuc hodiè subsistentes, resquè esse in statu litis, vel pendentis, vel multum in sui favorem inclinatæ. Quæ sanè sunt indirectæ oppositiones gratiæ, & Bullæ: Diximus enim supra directè se Brevi oppositorum, qui assereret ipsâ opinionem de peccato Originali fuisse S. Augustini, aut S. Thomæ: quia adferre authoritatem contrariam, & eam nõ dissolvere expressè in Constitutione Pontificia prohibetur. Igitur hoc ipsum moliri, per ambages occultos, præmissas iacere, quæ consequentiam in favorem oppositæ opinionis latenter inducant, indu-

ducant, indirectè est contra Breve Pontificiū agere. Sicuti enim Mæandro non aufertur, quantumcunquè sinuosis flexibus incedat, ut tandem ad terminum perveniat suum, ita his loquendi modis adnititur, ut ad suppressandâ gratiam primam Virginis, asserendumquè Originale peccatum tandem (licet circulando) perveniant.

¶ Ex quo satis patet, quòd hic loquendi modus: *Peccatum originale, aut opinio illud tuens stat in pedibus*, sit tã assertivus illius, ac directè oppositus silentio, à Pontifice præcepto, factoque *pie sententiæ* favori, ut nullus relinquatur dubitandi locus, aut se excusandi ex eo, quòd hoc interius sentire, à Pontifice non sit vetitum. Quia largam admodum ponit Breve Pontificium distantiam, inter *sentire*, ac *dicere*, aut posse dicere. Certè, nemo excusaret hos Authores ab incurſione censurarum, si dicerent: *Probabile est Virginem fuisse peccato originali subiectâ*: aut, potest defendi, eam fuisse ei labi obnoxia: vel, habetur hoc expressum in locis Scripturæ Sacræ; hic est sensus SS. Patrum Ecclesiæ. Tametsi hæc solum asserantur probabiliter, nemo tamen est, qui sic loquentes, à penis Bullæ eximeret. Quia quòd non sit definita formaliter, & de fide gratia originalis, non sequitur, hoc ipso



portam patentem relictam eſſe ad has, & multo etiam leviores locutiones divulgandas, quę intra mentis angulum debent recludi, nunquã in lucem emerſurã. Et ratio vltior eſt, quia omne verbum, vel ſignum, quo in dubium revocatur *pia ſententia*, ſub anathemate prohibetur, non obſtante, quod illa adhuc de fide definita non ſit.

¶ Deniquẽ poſtliminiõ repeto licentiam *interius ſentiendi* contra ſententiam *piam*, eiufq; obiectum (ideſt) contra gratiam originalem Dei Matris, quoad eius exiſtentiam non eſſe licentiam idipſum directẽ, vel indirectẽ *pro loquendi*, quia licentia *ſentiendi* ex eo arripitur, quod Eccleſia (tametsi in hac materia contrarium ſentiat, vti ex Bulla conſtat) ſenſum tamen eiufmodi interiorem non expreſſe condemnãrit. At contra, *loqui, ſcribere, & quocunq; modõ imaginabili præcepto poſitivo vetuerit*, cũ ex hoc experta ſit ſequi ſcandala, diſſenſiones, & pacis fidelium turbationẽ non item ex illo. Nemo igitur, ſeu directẽ, ſeu indirectẽ poteſt de illa opinione *loqui ſcribere, &c.* quin Pontificiæ Conſtitutioni ſe contrarium oſtendat, penasq; incurrat in illa conſtitutas.

§. VII.

*De tertia, tertiæ huius propoſitionis parte, ideſt, de interiori opiniois contrariæ ſenſu, an iſ ſit licitus necne?*

**P**RO maiori huius quæſtionis claritate advertimus, & ex communi Theologorũ ſententia ſupponimus Eccleſiam, & Summos Pontifices non prohibere (ſaltem directẽ, & expreſſe) aut pœnis Eccleſiaſticis ſubiicere conſueſſe *interiorem animi ſenſum*. Iuxta tritum illud axioma: *Eccleſia nõ iudicat de occultis*, tametsi aliundẽ illicitis.

¶ Supponimus ſecundõ ex communi itidem Doctõrum, *quedam eſſe mala, quia prohibita: alia verõ eſſe prohibita, quia mala*. Sic enim eſus pomi Paradyſi non erat à Deo prohibitus, quia ex ſe, & naturã ſuã malus: ſed erat malus, quia à Deo prohibitus. E contra verõ furtum, v.g. aut mendacium, non ex eo dumtaxat eſt malum, quia prohibitum, ſed eſt prohibitum, quia ex ſe, ſeu ex obiecto, & natura ſua eſt malum. Et ratio eſt, quia bonitas, vel malitia alicuius actus, & ſenſus interioris deſumitur, non ſolùm ex prohibitione, vel non prohibitione externa, verùm etiam ex alijs principijs

(nempe ex iure divino, & naturali, ſeu ex diſtamine rationis, & ſyndereſcos) quibus actio aliqua interna, vel opponitur, vel conformatur, aut quorum vi obligamur, vel non obligamur ad aliquem aſſenſum, vel diſſenſum, tametſi aliunde contrarium aſſerere diſcutere, aut in animo ſentire expreſſè prohibitum non ſit. Vnde ſemper erit illicitum illud iudicium, aut ſenſus interior, qui diſcrepat ab eo, quod ius divinum, aut recta ratio, & conſcientia dicitur.

¶ Et hanc ob cauſam Sanctiſſimus D.N. Alexander VII. dum in ſuo diplomate dixiſſet: *Vetamus autem quempiam aſſerere, contrariam opinionem tenentes eſſe hæreticos impios, aut mortali culpa obnoxios, illicè notanter, & providentiſſimè a propoſuit has particulas limitantes, propter hoc. Ac ſi dicat nemini fas eſſe, opinionem contrariã, eamq; tenentes dictis cenſuris aſſertivè afficere propter hoc, quod ſcil. toto ſuo diplomate Apoſtolico in favorem ſententiæ piæ, feſti, & cultus, ſecundum illam ab Eccleſia exhibiti præmiſerat, diſpoſuerat, ſanxerat, prohibuerat, &c. Vtrum autem aliunde, & ex alijs principijs, atque motivis, è ſacra pagina, Sanctorum Patrum, ac Theologorum doctrina, communi fidelium conſenſu deſumptis argui, ac notari*

tari poſſit, vel non, Nec vetat Pontifex, nec iubet: cumquè aliunde Apoſtolicum hoc diploma mirum in modum ſit favorabile huic myſterio, & piè cum Eccleſia Romana de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione ſentiètib; & ex altera parte odioſa ſint reſtringenda, & favorabilia amplianda, ſit, clauſulã illam *Vetamus*, per illa verba *propter hoc* aperte limitatam non poſſe, nec oportere extendi ad alia quoque principia, ac regulas bonæ, vel malæ actionis: vide, quæ circa hoc punctum diximus ſupr. p. 1. §. 9.

¶ Ad hæc valde notandum eſt, hanc de ſenſu interiori quæſtionem inſtitui poſſe dupliciter, primò, an ſcilicet liceat *interius ſentire* contra feſtum, & ſacrum huius myſterij cultum, eiſdemque obiectum, *quoad quid ſit?* Secundò, an licitus ſit *ſenſus internus*, ſententiæ piæ, eiſque obiecto (*quoad an ſit*) ideſt, an à parte rei exiſtat oppoſitus? & de utroquè paucis erit agendum.

¶ Et quidem in primis certum eſt adverſarios non poſſe abſquè piaculo *ſentire interius* contra feſtum, cultum eiſque obiectum *quoad quid ſit*. Et ratio eſt, tum primò, quia vt vidimus p. 1. §. 3. in fine, SS. D.N. in ſuo diplomate, & clauſula illa *Vetamus*, conceptiſſimis verbis

bis inter cultum, eiusque obiectum, & sententiam piam discernit, verans dumtaxat censuris affici contrariam (non cultui, sed sententiæ piæ) opinionem tenentes, sic enim mox addit: *Videlicet*, inquit, *gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptã, & rationem addit: Cum, inquit, à Romana Ecclesia nondum fuerit hoc decisum. Videantur ea, quæ ibi adnotavimus. Tû secundò, quia ibidem, & alibi sæpiùs toto hoc opusculo manifestè ostendimus sacrum hunc cultum, eiusque obiectum, quoad quid est, à Sixto IV. Paulo V. Gregorio XV. & apertissimè à SS. D. N. Alex. VII. esse declaratum, nempe ab Ecclesia celebrari Beatissimam Virginem præveniente Spiritus S. gratia, à peccato originali præservatam. Tû tertio, ex ijs, quæ supr. p. 2. §. 8. & 9. attulimus, quibus ostendimus sacrum hunc huius mysterij cultum eiusque obiectum, quoad quid sit, esse Catholicè certum, adeòquè tale, vt nemo verè pius, & doctus (verba sunt Magistri Cani, & P. Suarij) de eo dubitare audeat, adeòquè multò minus adversus illud positivè interius sentire. Videnda, ibidem à nobis dicta, & mox dicenda.*

¶ Igitur, quòd attinet ad sententiam piam, eiusdemquè obiectum (quòd quidem idem est cum obiecto sacri cultus) quoad questionem an sit?

Seu

seu, an à parte rei verè existat? Fatemur imprimis illud, non, vt cultû, esse æquè directè, & formaliter declaratum, sed solum indirectè, & virtualiter, in ipsa videlicet sacri cultus, eiusque obiecti facta declaratione; ex qua, vt, & ex ipsa Ecclesiastici cultus existentia, alijsq; principijs (toto hoc opusculo, præsertim verò p. 2. §. 8. 9. & sequentibus, à nobis productis) legitimè deducitur, & infertur, tam sententiæ piæ veritas, quàm etiam realis, & verà existentia, eiusdem obiecti, nempe gratiæ originalis Deiparæ Virginis. Addimus tamè hanc differentiã non diminuerè gradum infallibilis certitudinis sententiæ piæ, quoad se, seu secundum se, sed solum quoad nos, vt dictum est p. 1. §. 5. 6. 8. & 9. & p. 2. §. 1. 8. & 9. & alibi sæpiùs. In quantum scilicet vnũ, quoad nos est altero magis clarum, magis aut minus formaliter, & directè, aut virtualiter, & indirectè, à Sede Apostolica declaratum, atquè propositum: Vnum conclusio, deniquè alterum principium.

¶ Deindè, dâmus modò, sensum, seu iudicium internum, piæ sententiæ oppositum non ex eo esse malum, atque illicitum, quòd à Sede Apostolica expressè, & positivè sit prohibitum. Sed simul vehementer dubitamus, an non id aliundè sit illicitum, & vetitum, quia

ma-

malum, utpotè principijs bonæ operationis, iuri diuino, aut naturali varijsquè virtutibus contrarium?

¶ Quà in re dicendum videtur, eiufmodi ſenſum, & iudicium internum (*ſententiæ piæ, eiufdemquè obiecto*, id eſt, gratiæ originali Virginis oppoſitum) videri illicitum, utpotè iuri diuino, & naturali, ſeu recte rationis, & conſcientiæ dictamini aduerſans. Multis quidem hoc dictum probari poſſe videtur argumentis. Nos, vno, vel altero contenti illud firmare conabimur.

¶ Et quidem primum, & princeps tale eſt. Non eſt licitum ſentire, & iudicare interius (etiam opinatiuè) Sanctam Romanam Eccleſiam, aut Sedem Apoſtolicam (utpotè firmamentum, & columnam veritatis) errare, aut etiam errare poſſe circa fidem, bonos mores, & cultum diuinum, ita ut colat, aut colendum præcipiat obiectum aliquod, ſeu rem aliquam, re ipſa, & à parte rei, non ſancſtam, ſed falſam, & ſacro cultu indignam. Sed Sancta Romana Eccleſia, & Sedes Apoſtolica ſolemni, ac publico ritu colit, & celebrari mandat gratiam originalem primi inſtantis Deiparæ Virginis Mariæ, & hanc ipſam, re ipſa Virgini fuiſſe collatam conſtanter aſſerit *ſententiâ piâ, ſecundum quam,*  
teſte

teſte Pontifice, cultus ille exhibetur. Ergò qui interius ſentit, ac iudicat eandem Deiparam Virginem fuiſſe cum originali peccato conceptam, is (ſaltem virtualiter, & indirectè) ſentit, & iudicat, non ſolum ſententiâ piâ, eiufque obiectum, verùm etiam Eccleſiaſticum cultum eiufquè obiectum (utpotè idem cum obiecto ſententiæ piæ) à parte rei eſſe falſum, adeòquè ſacro cultu indignum, & conſequenter Sanctam Eccleſiam Romanam, & Sedem Apoſtolicam de facto erraſſe, & errare circa cultum diuinum: ergò huiufmodi ſenſus internus, atquè iudicium non eſt licitum, ſaltem ex ſe, & natura ſua; tametiſ à Sede Apoſtolica directè, expreſſè, & formaliter non ſit prohibitum.

¶ Secundò; contrà rectam rationem, & prudens conſcientiæ dictamen aperte agitur, quando iudicium proprium infallibili Eccleſiæ Romanæ arbitrio, atquè iudicio non ſubijcitur, ſed repugnanter opponitur: cum igitur Sancta Romana Eccleſia, & Summi Pontifices iam pridem iudicaverint inſtituendum eſſe, & re ipſa inſtituerint cultum ſolemne, ac feſtum, colendæ gratiæ originalis Deiparæ Virginis; eidemque tot, ac tanta privilegia, favores, & gratias conceſſerint, fideles vniverſos ad illud colendum, amplectendumquè in-

vitaverint, & exhortati ſint, horūquē iudiciū (vt oportebat) tot Reges, & Principes, Provincie, & Regna, Religioſi Ordines, ac Vniuerſitates, ac (vt Pontifex ait) *ferè omnes Catholici* amplexari, *ſententiam piam* conſtanti animo ſequantur, atquē propugnent, quis dubitet, horum omnium, à ſanctitate, ſapientia, authoritate, & virtute aded celebratorum hominū iudicio, *interno mentis diſſenſu* refragari, & obſiſtere, eſſe Deo, iuri diuino, ac naturali, ſeu recto rationis dictamini repugnare, adedquē maiori, minorivē culpæ obnoxium fieri, pro vti renitentia, & obſtinatio maior, vel minor fuerit eius oviculæ, & partis totius corporis myſtici, quæ nequē Eccleſiam, eiſque Paſtores vniuerſales, Chriſti in terris Vicarios, neq; præeuntem totum Eccleſiæ gregem imitari velit, ac ſequi. Proindè etiam, atquē etiā diſpiciant adverſarij noſtri (ante quàm eiſmodi ſibi, *interiùs*, pro arbitrio *ſentiendi* licentiam aſſumant) an id ſalvâ conſcientia, & non reclamante Synderēſi poſſint. Sanè, vt divinè dixit lumen Eccleſiæ Divus Auguſtinus: *Turpis* (inquit) *eſt omnis pars, quæ ſuo toti non conſentit, ſeu non convenit.*

¶ Idem probatur tertio, à pari, imò, & à fortiori ex alio, ac notorio principio. Nā ſi

SS.

SS. Eccleſiæ Patres vitium *ſingularitatis*, quo quiſpiam proprium ſenſum, ac iudicium, arbitrio *communitatis*, aut receptæ conſuetudini præponit, aded perſtringunt acriter, vt abominabilem cenſeant, atquē pronuntient hominem, v.g. Religioſum, qui ſenſu, vel opere à communi Religionis norma, & morè diſcrepat, & (ſi monitus non reſipiſcat) eum ſtatuant, vt refractarium, & incorrigibilem à cætu reliquorum expellendum: quomodo, Deum bonum! Non id grandius *ſingularitatis*, vitium fuerit, à Romana Eccleſia, *ferè què omnium Catholicorum* iudicio diſcrepare, atquē diſcedere, nec tot Pontificiorum diplomatum motivis, rationibus, ac hortamentiſ reſipiſcere, proprios, & *ſingulares* ſui animi ſenſus deponere, ac tantè, tamquē venerandæ *communitatis* iudicio, ſine mora accedere? Profectò, quiſquis eiſmodi eſt, niſi *contra iectum fluminis conari*, *contraquē Synderēſeos ſtimulum calcitrare*, adedquē ſpontè ſua delinquere, ac labi velit obſtringitur, iudiciū *generale omnium* reliquorum ſequi, ne (vt diximus) ſolus, & vnicus ſibi ſapere, & ided alijs omnibus meritò deſipere videatur, idquē in materia gravi. Nam, vt præclare dixit S. Hieronymus Epistoſa 89. *Si igitur* (inquit) *me reprehendis errantem, patere me, quæſo, errare cum talibus;*

Bbb 2

cum

Examiniſ Theologicis.

cum me erroris mei multos socios habere conſpexeris, tu veritatis tue, ſaltem vnum ad ſtipulatorem proferre debebis, hęc S. Hieronymus. Sicuti autem, ſequēdo Eccleſiæ, tot, tantorumquē virorum ſapientiffimorum, & ferè omnium Catholicorum arbitriū, ac placitū, errat nemò; ita omnis error extra illam eſt, illiquē dūtaxat accidit, qui ſingularitatis amore correptus, ab illo ſpōtè declinārit, tametiſ aliundè huiusmodi iudicium internum poſitivè, atquē expreſſè, lege aliqua Eccleſiaſtica prohibitum non ſit.

¶ Præterea quartò, etiamnū aliud occurrit, ex ſacra pagina principium, in lumine quoquē naturali fundatum; ex quo, apertè deprehendi videtur, *internum* adverſæ partis ſenſum, atque iudicium, iudicio ſententiæ piæ oppoſitū non eſſe licitum. Eſtquē illud Eccleſ. 3. c. v. 27. vbi dicitur: *Cor durum*, id eſt (vt Cornelius à Lapide, & ſacri interpretes exponunt) cor præfractum, protervum, ac in ſua opinione, & ſenſu obſtinatum, quòd nullis ſe minis monitiſque flecti ſinit; *malè habebit in nouiſſimo*: Et qui amat periculum, in illò peribit, id eſt, labetur, delinquet. Ex quo ſic: Sed, qui in interiori mentis ſuæ reſeſu ſentit, ac iudicat, B. Virginem Dei Matrem cum originali peccato fuiſſe cōceptam; is, ſanè cor durum habere videtur, & amare periculū, eidēquē voluntariè ſe exponit, & huic quidem mul-

multipli; nempè. Primò, vt, aut à veritate, pluſquàm moraliter evidentè, imò & Theologo-Metapyſicè certa (quà parte 2. §. 8. & ſeqq. *piam ſententiam* gaudere patenter, vt arbitramur demonſtravimus) auditum avertens deviet. Aut ſecundò, vt in non pauca alia Sacræ Scripturæ, S. S. Patrum, & communia veræ Theologiæ principia parū cautus impingat. Aut tertio, vt in Sacrum huius myſterij cultum, eiufdemquē obiectum, à Sede Apoſtolica apertè declaratum indirecè arietet: Aut quartò, vt (quòd ante hęc multoties; & hiſcè primū diebus, poſt editum quoquē diploma Pontificium non ſemel dolenter audivimus, atquē oculis noſtris conſpeximus) ex eiufmodi interno, ac contrario, obſtinati animi ſenſu, atque iudicio, in actus externos, & ſigna (peccatum originale Virgini, ab illis imputatum manifeſtanta, & à Pontifice expreſſè prohibita, nullo, inquit, excogitabili modo prorumpant: Nam (vt dicitur Iob cap. 4. v. 2.) *conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Et, vt Dominus, ait, *ex abundantia cordis, os loquitur*, aut alijs excogitabilibus modis, *internus* ſeſe prodere conſuevit animi ſenſus, vt ignis, thufis, amor. Aut quintò (& conſequenter) vt anathematis, aliaſque graviffimas Bullæ Pontificiæ cenſuras incurrant. Aut deniq; (omiſſis cōplurimis alijs.) Sextò, vt ex hu-

inſuſmodi ſignis externis, ab interno illo iudicio profectis oriuntur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones, quibus, ingenti cum ſolicitudine obuiare voluerunt Paulus & Gregorius XV. Sixtus IV. & alij Summi Pontifices, ac noviffimè SS. D. N. Alexander VII. His inquam, & alijs huiusmodi labendi, ac delinquendi periculis ſeſe exponunt adverſarij, ſeſui, ac iudicio illi ſuo interno, eduſquè pertinaciter adherentes; ergò in eiufmodi periculis peribunt, id eſt labentur, atquè delinquent. Quo igitur pacto licitus erit ſenſus ille internus, atque iudicium, ſententiæ piæ oppoſitum; ex quo non ſolum pronum eſt, ſed & ferè moraliter certum videtur, ſequi ea omnia damna, atq; piacula, aut ſaltem eorum aliqua, quæ iam iã retulimus & quilibet, vel mediocri experientiã tinctus frequenter commiſſa fuiſſe, & committi ſolere teſtabitur.

¶ Quemadmodum enim milites pugna- ces belliquè amantes in eius periculis, & prælijs ſapè vulnerantur, cõcidunt, ac pereunt. Et natatores, natationi addicti ferè ſubmerguntur; & qui conſortio delectantur feminarum, in eo plerumque caſtitaſis naufragium faciunt; & qui negligentes ſunt in reiſcienda libidinis, aut vindictæ cogitatione, perfacilè labuntur

in

in eius conſenſum, & in ipſum quoquè poſteà progrediuntur actum externum, ita metuendum eſt oppidò, & valdè proclivè eos, qui contra ſenſum Eccleſiæ, & ſententiã piã ſenſum, & iudicium internum efformant, & pertinacius, multòque tempore intus ſua ſpontè fovent, non eſſe anoxa venialis culpæ innoxios, propèdiemquè in ſigna, & actus externos, peccati originalis Dei paræ Virginis manifeſtativos, & ab Eccleſia, ſub anathemate prohibitos eſſe erupturos; quia periculũ hoc amabant, ac in quod ſe vltro coniecerant, & à quò facili negotio ſibi cavere potuerant. Vide circa hoc principium Sacros Theologos, & inter alios Sanchez de matrimonio, tom. 3. lib. 9. diſp. 45. num. 6. & Ioannem de Salas 1. 2. quæſt. 74. tract. 13. diſp. 6. ſeſſ. 17. vbi docent, quemlibet teneri ab eiufmodi periculis ſe abſtinere, licèt aliàs, res, vel occasio fortè ſit licita, & utilis, niſi neceſſitas ea vti cogat.

¶ Rationem porrò dat S. Auguſtinus, lib. 16. de Ciuit. cap. 19. & lib. 22. contra Fauſtum, c. 25. & 16. dum ait: Qui non præcauet periculum, quòd præcauere poteſt, potiùs tentat Deum, quàm ſperet in eo. Et S. Baſil. de conſtit. Mon. ſt. cap. 4. Bellum (ait) quòd præter voluntatem incidit nobis excipere fortæſſe neceſſarium ſit, ipſum verò voluntariè ſibi creare ſumma

de-

dementiae eſt. Præclare S. Cyprian. de ſingulari Cleric. Pro certo (ait) implantator animam ſuam decipit, qui non cauendo contraria, noxijs rebus ſemetipſum commiſerit. Ille autem tutius ſibi conſulit, qui circa malos ſemper infidus, ſpecies quaſcumque noxias extimeſcit. Nam vt ſapienter ait Seneca in Hercule: Cur nemò ſe tutè periculis offerre, tam crebrò poteſt: quem ſepè tranſit casus aliquando inuenit. Planè (vt prudenter ait Comicus) miſeri eſt neſcire ſine periculo viuere, cum poſſit: ¶ Deniq; adhuc aliud ipſimet libellatores Romani agnoſcunt, & nobis (ſed immeritò) occinunt periculum, in quo verſari videntur, qui interius ſentiunt, & iudicant B. Virginem contraxiſſe originale peccatum; quod nempè, qui hoc menti inſeſſum fovent vires ſibi videantur accidere, & adimere argumenta, quibus hereticis (infallibile Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, circa diuinum cultum, eiſdemquè obiecti certitudinem iudicium calumniantibus) ſolitè reſpondere poſſint.

¶ Poſtquàm enim dixiſſent dicti libellatores, fixam, & perpetuam eſſe Eccleſiæ cõſuetudinem, non celebrandi niſi certam, ac in dubiam ſanctitatem, & exindè (ſed falſò) collegiſſent, ab Eccleſia non celebrari gratiam primi instantis, ſed ſecundi, vel tertij, adedquè ſanctificationis, non præſeruationis momētum, mox addiderunt, qui aliter dixerint,

xerint, videant, quomodò hereticorum os obſtrere valeant, qui aduerſus infallibile Eccleſiæ iudicium calumnias ingeminant. Sic illi: Cum igitur Sancta Romana Eccleſia (vt aperte declarat Pontifex) celebret gratiam primi instantis determinatè, adedquè præſeruationem Dei paræ Virginis, & non ſanctificationis, in poſteriori aliquo instanti peractæ, etiam, atquè etiam videant, qui aliter dixerint, ſenſerint, ac iudicauerint quomodò, quibusuè rationibus, & argumētis hereticorum os obſtrere valeant, qui aduerſus infallibile Eccleſiæ iudiciũ calumnias ingeminant. En periculũ in quod ſeſe cõijciunt, qui in interiori mentis ſuæ reſſu iudicant, ac ſentiunt obiectum ſententiæ piæ, id eſt gratiam primi instantis, ab Eccleſia celebratam reipſa, ac à parte rei nõ exiſtere, & ſententiam piã infallibilem, ac certam non eſſe, quod vtiquè faciunt, qui opinionem contrariam adhuc firmã, ac validam ſuis inſiſtere pedibus apud ſe iudicant, quibus, vt hoc ſuum iudicium, ac ſenſum internum deponant quantotyuſ, & ex maniſeſto hoc, illorum etiam ſententiã, periculo exeant, amicè conſulimus cum doctiſſimo Præſule Ambroſio Catherino diſputat. pro Immaculata Conceptione ad Concilium Tridentinum, parte prima, column. 102. eoſdem hiſcè

omnino verbis alloquente. Reuera (inquit) hic vnus est in fide noſtra lapſus grauiſſimus, & precipuum periculum, ſi Romane auctoritatem Eccleſie ſuimus apud nos periclitari. Hinc enim, vt eleganter ſcribit B. Cyprianus, Schiſmata, & Hæreſes oriuntur, quia vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex Vice-Chriſti non cogitatur. Quod ſi patimur, o Patres hanc perſuaſionem in vale ſcere, & apud eos etiam nigere, qui ſe maximè Catholicos profitentur, certè (quòd cum dolore dico, dicam tamen, quia veritas eſt) Lutherane ſectæ, immò communi omnium Hæreticorum errori pernicioſiſſimè fauemus. Nam in hanc Petram in omni ſuo dogmate impingunt, omnia reſpuentes, quæ ab ipſa ſunt ſine Dei Verbo (vt aiunt) expreſſa. Quid, ſi quis obijciat, illos minùs irrationabiliter quam vos in hac parte loqui? Nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei, quòd nihil certum eſſe arbitrantur, etiam ab Eccleſia probatum, niſi fuerit Verbo Dei, & in Scripturis expreſſum, ideo què totam Eccleſie faciem deturpant. Nos autem dum in iſs ordinandis, atquè inſtituendis aberrare poſſe Romanam, & vniuerſalem Eccleſiam exiſtimatis, ac deſactò in hac celebritate aberrare contenditis, incertum nobis omnem Diuinum Cultum rediditis, & nunc antem facitis Chriſtianam fidem, quam

ſolidiſſimos, & certos, & immutabiles, & præſertim  
-inno 200

precipue in Diuino Cultu profitemur, atquè proteſtamur. Minùs autem inſipienter erraretis nullos penitus cultus admittendo, quos Eccleſia inſtituit, abſquè Dei Verbo expreſſo (vt habet Lutheranum dogma) quam illos admittendo, fateri ſimul poſſe eos eſſe mendaces, vt cuiquè liceat ad libitum, vel admittere, vel negare, abſquè fidei noſtræ præiudicio, & ſcandalo. Minus enim penitus non colit Deus, qui ſumma eſt veritas, quam mendacibus colit cultibus, aut incertis. Hactenus Catherinus, quæ libellatores utiquè dicent in ſe non conuenire, cum affirmant ab Eccleſia non coli, niſi indubitatam ſanctitatem, verum animadvertant id apertè ſequi, quod Catherinus impugnat, dum interiori ſenſu, ac iudicio ex vna parte obiectum cultus nempe originalem gratiam B. Virginis omnino certum eſſe oportere affirmant: Ex altera verò parte ſententiæ piæ obiectum, eandem nempe gratiam, à parte rei exiſtere negant, quo fit, vt ſtante illo interiori ſenſu, ac iudicio alterutrum horum neceſſariò ſequatur, nèpè fateatur, Aut ſe repugnãtia loqui: aut obiectum ſententiæ piæ, verè à parte rei exiſtere, & inſallibiliter certum, minimequè dubium eſſe. Aut deniquè (hoc negatio) obiectum ſacri cultus non eſſe indubi-

tate ſanctitatis, & conſequenter ipſos (ſic ſen-  
tientes) non habere, quomodo hereticorū os obſrue-  
re valeant, qui aduerſus infallibile Eccleſiæ iudicium  
calumnias ingeminant.

¶ Probatuſ denique quintò, ſenſum huius-  
modi internum nõ videri licitum, quia tametiſ  
(vt nuper diximus) ſententia pia, illiuſquè obie-  
cti, nempe originalis gratiæ exiſtentia, non ſit  
formaliter expreſſe, ac directè, ſed ſolum vir-  
tualiter, & indirectè ab Eccleſia declarata,  
non videtur tamen fore extra culpæ periculū  
is, qui cõtra eã interiùs ſentiret, eoquod eiufmo-  
di ſeſe opponeret legi naturali, rectæ rationi, & cõ-  
ſcientiæ, quæ dictat ſubmittendū iudicium  
declartioni reali, tacite, indirecte, & virtuali,  
opere ipſo, & factò, à Pontificibus, & Eccleſia  
exhibitæ, & obuij; vlnis, à ſerè omnibus Catholi-  
cis exceptæ, vt iam ſapiùs ponderavimus. Er-  
gò eiufmodi ſenſus internus non videtur poſſe  
eſſe licitus. Viderit proinde vnusquiſque ho-  
rum Anonymorum, quo pacto illæſà conſciẽ-  
tiã, tam contra cultum, quàm contra ſententiam  
piam, & obiecti vtriuſque realem, ac veram exi-  
ſtentiam ſentire queat.

¶ Atquè vt benevoluſ lector tantò faci-  
liùs tutiùſquè limitare valeat, quas fortè hic  
ſenſus

ſenſus interior, ab Anonymis illis aſſertuſ, mere-  
ri videbitur cenſuras: ad ea, quæ parte prima,  
ferè per totam, de varijs definitionum, & de-  
clarationum generibus, ac membris tradidi-  
muſ mentem reflectere oportet, & illic, con-  
ſultò prænotata huc traducere: quæ ſarè, ſi  
oculo ſimplici, rectoquè legantur; expendan-  
tur ſine paſſione, & applicentur cum iudicio,  
paciſquè amore, nihil dubitamus, à veritate,  
omni ſuoco exteſſo, quemlibet convictum  
iri.

§. VIII.

Reſpondetur obiectis.

**D**Vrum aduerſarijs apparet, in præſenti  
materia, ſuo Nunciuſ remittere ſen-  
ſui, atque iudicio interiori, pro quo retinendo ti-  
tuloſ quærunt, cauſalquè, ac rationeſ aſſig-  
nant; illam potiſſimū, quod (inquiūt) hæc con-  
troverſia necdum ſit à Sede Apoſtolica, formaliter,  
& expreſſe deſinita; ex quò inferunt ſibi faſ eſ-  
ſe interiùs contrarium ſentire, ac iudicare Deipa-  
ram Virginem cum originali peccato fuiſſe concep-  
tam.

¶ Sanè mirum, ex illo antecedenti, hanc,  
ab

ab Anonymis (ypote viris, vt reor. haud me-  
diocri literatura tinctis) inferri conſequentiã,  
que (admiſſo vltro antecedente) tanquã falſa,  
& nullius momenti in primis eſt neganda, cum  
apud Theologos vniverſos compertum ſit,  
multa in Dei Eccleſia reperiri myſteria, reſq;  
alias, omnino infallibiles, ac certas, necdũ ta-  
men ab eadem Eccleſia definitas, vt articulos  
fidei, ſeu de fide tenendas. Cõtra quarũ tamẽ ve-  
ritatem, & obiectõrum illarum veram, ac realẽ  
à parte rei exiſtentiam, nequaquam fas ſit in-  
teriũs ſentire, aut iudicare. Nonnẽ infallibili  
certitudine gaudet ſanctitas, & veritas *Natiui-  
tatis* Beatiffimæ Virginis, eiufdemquẽ *preſen-  
tatio* in Templo, *Assumptio* corporis, & animæ  
eiufdem ad cœleſtem gloriã. Deniquẽ (vt  
mittamus alia) eiufdem Virginis *immunitas* ab  
omni prorfus peccato actuali, etiam veniali?  
& tamen nullum horum, ab Eccleſia hætenus  
definitum eſt, vt de fide credendum, quemad-  
modum communis habet Theologorum ſen-  
tentia, quos vide apud *Agydium Loſitanum*, lib.  
3. q. 6. art. 1. §. 9. numer. 62. & apud P. Eufe-  
bium Nierembergium *Opus. de except. Concilij  
Tridentin. cap. 1. & alios*, nequẽ erit quiſpiam,  
vel mediocriter doctus, qui auſit dicere, aut  
interiũs ſentire licitum eſſe iudicare, aut ſentire  
inte-

interiũs dicta myſteria eorundemquẽ obiecta  
à parte rei non exiſtere, aut vera certaquẽ non  
eſſe. Ergò ſimiliter, admiſſo illo Anonymõrum  
antecedente (quòd nimirum hæc controver-  
ſa, ſeu *ſententia pia*, & *obiecti illius*, nempe ori-  
ginalis gratiæ realis, & vera *exiſtentia* nondum  
ſit ab Eccleſia, vt articulus fidei definita) inep-  
tẽ & falſo inferitur ab iſdem, idcirco abſolu-  
tẽ, ſibi licitum eſſe in interiori mentis abdito  
*ſentire*; atque *iudicare* oppoſitum.

¶ In memoriam, rogo, ſibi reuocent, &  
ob oculos ponant Anonymi iſti ſapiens illud,  
& amicum doctiſſimi *Ambreſij Catherini*, in ſig-  
nis huius myſterij defenſoris *Conſilium*, mo-  
nitumquẽ, iam pridem opinionis affirmatiuæ  
Authoribus ſuggeſtum. Hic igitur, lib. 2. pro  
*Immaculat. Concept. pag. 61.* hanc eadem respon-  
ſionem ſibi obijciens hæc reponit: Sed (inquit)  
aiunt quidam: *Non ſumus heretici, ſi non ſequimur  
in hoc ſenſum Eccleſiæ; cautum eſt enim; ne quis nos  
heretiſ nomine damnet, ſi aliter ſpiciamus, quam illa  
recepit. Non nego. Sed illa, vt pia, & ſuauiſſima  
Mater non conſuevit repente vinculis præceptorum fi-  
lios aſtringere, ne forte ad contumaciam, & rebel-  
lionem prouocaret ſic enim (vt Auguſtinus eleganter  
diſſert) multitudinibus, per ſchiſmata, & heretiſ  
peruenitibus plerumquẽ ſubuenire ſolet: priorum autem*

filioſ

filiorum non est, in omnibus expectare preceptum, & interim eius indulgentia, & benignitate abuti, idque ad elationis suæ malum convertere, quod ipsa tolerat propter pacis bonum. Hæc ille.

¶ Salutiferum planè Catherini consilium, & ab omni viro Catholico, morigeroque S. Matris Ecclesiæ filio amplectendum, cuius sanè hæctenus, non dicam nutum, sed multiplices ad hortationes, varias protestationes (quod pro sententia pia, cultu, & festo stet, ac stare velit) opere, & scripto evulgatas cordi sumere, iisque morem gerere decet.

¶ Sed instat, & aiunt, non solū, nō esse decisam de fide hanc cōtroverſiā, aut definitivè dānatam opinionem affirmativam; sed neq; ab Ecclesia expressè illam esse prohibitam, aut vetitum, internū eius sensum, adeoque hunc esse permissum, & consequenter licitum. Multa, pauculis hæc verbis involvunt Anonymi, quæ modò non vacat evolvere. Id dumtaxat (quòd iam supra, principio huius paragraphi prænotavimus) hic denuò repetentes adversarijs opponimus, ac dicimus (dato, non esse directe, & apertè prohibitum sensum, ac iudicium internum, sententia piæ contrarium) nihilominus non rectè inde deduci, illum simpliciter, & absolute esse licitum, eo quòd multa repe-

rian-

riuntur, moraliter mala, tametsi expressè non sint prohibita, vt dictum est. Ideò ne illicò hic sensus internus ex omnibus principijs, & circumstantijs, & vnde quaque licitus probusque cēfendus est, quòd iustissimis de causis, ac ob fines altissimos S. Romana Ecclesia, & Sedes Apostolica illum mente teneri ad tempus dissimulet, assueta magis, oves suas, ostenso ramo, suavi allectu trahere, quàm terrifico potestatis pedo percussas, compellere intrare?

¶ Enim verò, nunquid nō pariter iā olim toleravit multorum *interiorem sensum*, contra Assumptionem Virginis in corpore, & anima, etiam post institutam eius festi celebritatem? An non compluribus annis sustinuit eos, qui negabant Spiritum S. à Filio procedere, tametsi id in symbolo clarè profitebatur? Sic Malsilienses Semipelagianos toleravit, vt pia, & patienter expectans mater, prolem, ad frugem fortè reversuram: Ita etiam nūm cum Græcis dissimulat, in fermentato celebrantibus, tametsi ipsa pro consuetudine sua, in azy-mo celebrandi, eo ipso infallibilem suæ actionis, & facti veritatem contestetur. Nec sanè, ex eo, quòd hi interposità ultimà definitione ab Ecclesia damnati non sint, sensusque illorum

Ddd

inter-

*internis* non ſit expreſſè prohibitus, ſed toleratus, erederim, Authores opinionis affirmati-  
ve, noſtroſquè Anonymos cum iſtis eà ratio-  
ne, aut celebrare, aut etiam interius *ſentire* vel-  
le, aut poſſe. Hinc verò ſequitur plus *piæ ſentē-  
tiæ feſto, & cultui* deferendum eſſe, cum nemini  
permittatur hoc myſterium celebrare ſub no-  
mine *ſanctificationis*, ne, vel minima peccati ori-  
ginalis in Virgine ſuſpicio detur.

¶ Quare confidimus fore, vt ſe tandem  
adverſarij ex ſuo devio reducant; maximè cū  
videant, S. Eccleſiam Romanam huic myſterio  
Immaculatæ Conceptionis, adeò adherere  
firmiter, vt prohibeat omnem actum exterior-  
em, quo *ſenſus interior*, contrarius demonſtra-  
ri poſſet. Videatur P. Ioannes Eufebius, in libro de  
*ſanctitate feſti Concept. S. 2 S.* & alij qui tractant de  
obligatione deponendi *proprium iudicium* in ma-  
terijs, & caſibus, longè minùs urgentibus, quā  
præſens ſit, nepe in materia Religionis, in qua  
*nemo privatus arbiter eſt, & Iudex*. Vt loquitur  
S. Hilarius, ſed diſcipulus duntaxat; hinc ne-  
mo ſibi poteſt iudiciariam poteſtatem arro-  
gare, & exiſtimare ſibi licitum eſſe *ſentire*, con-  
tra id, quò d. *ſentit*, ac celebrat, tantiquè ſæ-  
culis celebravit Eccleſia.

¶ Et licèt iuſtas, ac ſanctas ob rationes

Eccleſia prohibeat palàm *aſſerere*, vel *dami-  
nare* contrariæ opinionis Authores, tanquam  
crimini hæreſis, aut peccati mortalis obno-  
xios; non tamen propterea inficiatur (ex-  
ceptà hæreſi) eſſe, & dici poſſe omnem illum,  
qui neget *cultum, & feſtum*, aut affirmet eius  
*obiectum* non eſſe id, quòd eſt, nempè *gratiam  
originalem*: Deniquè mente concipi, à quolibet  
poſſe, non verò *aſſeri* de eo, qui *ſententiam piam*  
eiuſque *obiectum, ſentiret*, à parte rei falſum  
dubium, ac errori ſubiectū eſſe. Poterat enim  
omnino id dicere Eccleſia, etiam ſi non dixe-  
rit, & propterea iam nuper inſinuavimus, in  
hac Bulla (tota huic myſterio favorabili) *clau-  
ſulas prohibitiuas* intrà ſtrictos, ac rigorofos ſuos  
limites contineri oportere; nec extendere ad  
quidquam, quòd Bulla *expreſſè*, non vetat. Imò  
in favorabilem omnia partem trahere *piæ  
ſententiæ*, quantum quidem ex eius verbis, &  
Eccleſiæ factis colligi poſſit.

¶ Ampliùs, quamquam ab Eccleſia ex-  
preſſè definitum foret, adverſarios eorumq;  
opinionem hæreſis, aut peccati mortalis com-  
pertam non eſſe, ſi tamen hic *ſenſus internus*,  
*piæ ſententiæ* contrarius aliundè probatur eſſe  
peccatum veniale (vti revera eſſe videtur, &  
quidem ex genere venialium haud leve) quis

non videt, hoc eſſe, à Chriſtiana integritate abhorrentis animi, velle obſtinatè peccato veniali in hæerere, de quo nunquam pœniteat; multò verò minùs hominum, qui vi Religioſæ vocationis ſuæ ad perfectionem aspirare obſtricti ſint. Perſeverare enim in amore, ac interiori proteſtatione talis peccati, abſq; animo, illud pœnitentiâ abolendi, ac de eo aliquando reſpiſcendi, compluribus, animam damnis involuit, nec erit facile aliquis, in Religione Chriſtiana, adeò excors, qui eiufmodi obſtinationem, ac pertinaciam ab omni pœnitùs culpa abſolvat. Statuant ſapientes, ſi factam tale laudari, aut alicui conſuli aliqua occasione in Dei Eccleſia poſſit; aut potiùs reprehensione, ac vituperiò dignum nò ſit, quãdo credi vix poſſit, eam inhæerere fideli pectori duritiam, vt nolit, cum facile poſſit, ac etiã debeat, à noxa veniali reſurgere, eiufq; à Deo petere condonationem.

¶ Hæc, & ſimilia, quæ hucusquè attulimus, ſunt principijs, Theologicis, & moraliſ, omninò conformia, diſſuadentibus, proprii iudicij placita, communi Eccleſiæ Sanctæ, ac Chriſti fidelium arbitrio præponere, opponere ſequè. Cæterum, ab omni huiufmodi interni enſus cenſura conſultò abſtinuimus, ne ultra

cauſæ præſentis exigentiam aliquid voluiſſe; aut S. D. N. Conſtitutionis (quàm pronà voluntate, & poplite flexo humiliter exolucamur) minùs reverentes, obſervantesquè fuiſſe videremur. Probè intelligentes, Sanctitatem ſuam, ſanctè, ac iuſtè præcepiſſe, atquè cavifſe; ne dictam ob-cauſam adverſarij, eorumq; opinio hæreſis, aut peccati mortiferi, à quopiam *damarentur*. Vndè, quòd id illis obijci nequeat, certum eſt: quòd autem reipſà non ſit peccatum aliquod, ſaltem veniale in adverſæ opinionis *ſenſu interiori* perſiſtere, hoc Summus Pontifex non aſſeveravit.

¶ Quare ante oculos habenda eſt ſemper illa diſtinctio, in ſuperioribus, iam ſæpè, à nobis inculcata, & ex illis Bullæ verbis *propter hoc* alijsquè clauſulis collecta. Nempè Pontificem ibi loqui, *vetare*, ac *prohibere* ea, quæ prohibet, *vi* duntaxat illorum principiorum ſtatorumque, quæ continentur in Bulla, nò verò, *vi* aliorum fundamentorum, ac rationum, quæ à Theologis, tùm generaliter contrà opinionem *affirmatiivam*; tùm ſpecialiter contrà hæctenus, à nobis diſcuſſum, illius *ſenſum*, & *iudicium internum* adduci ſolent, ac poſſunt.

¶ Circà quæ tamen nos nihil determinãdo aſſerimus, ſed diſputando ſolum, & confe-

rendo

rendo ſapientibus occaſionem damus; eorū-  
denique ( præſertim verò S. Matris Eccleſiæ  
Romanæ ) inſallibili, iudicio omnia ex aſſe  
ſubiſcimus; ſecuti magnum Eccleſiæ Docto-  
rem, S. Hieronymum, qui in Epistoſa 89. ad  
S. Auguſt. tractando de diſputatione SS. Apo-  
ſtolorum Petri, & Pauli, ſuper illa huius ver-  
ba: *Ei in faciem reſtiti*, ſic ait, *ex quo oſtendi,*  
*me, non ex definito id defendere, quòd in Græcis le-*  
*geram; ſed ea expreſſiſſe, quæ legeram, vt lectoris*  
*arbitrio relinquerem, vtrum probanda eſſent, an in*  
*improbanda?*

¶ Quòd ſi adhuc cùm libellatoribus Ro-  
manis intes, & dicas, à Pio V. vtramquè opi-  
nionem appellari, & iudicari *probabilem*, ac in  
ſua *probabilitate*, ab eodem eſſe relictam: Quòd  
autem *probabile* eſt, ſentiri, ac mente teneri li-  
cite poteſt, ergò. Reſpondetur primò, falſam  
eſſe maiorem propoſitionē; nam Pius V. nec  
ſenſit, nec iudicavit, nec aſſeruit *opinionem affir-*  
*mativam eſſe probabilem*, ſed ſolum permittit,  
illam teneri, à quovis, *prouti* (inquit) alterutrū  
*vel magis pium, vel magis probabile eſſe iudicaverit.*  
Vbi aperte vides Pontificem non loqui de  
*ſenſu, & iudicio Sedis Apoſtolicæ, ſed de iudicijs*  
*privatorum.* Alioqui enim pugnantia locu-  
tus inveniretur. Nam ſi, quæ vtriquè parti tūc  
per-

permittit *ſentire*, eadem, & ipſe ſenſit; ergò  
*ſenſit ſententiam piam eſſe probabiliorem, & ma-*  
*gis piam opinione contrariā; & hanc viciffim*  
*probabiliorem ſententiā piā, quòd repugnat* Ergò  
Pontifex opinionem contrariam hiſcè verbis  
nec ſenſit, nec aſſeruit *eſſe probabilem*, vt neq;  
ſententiam piam; cuius, non ſolum *probabilita-*  
*tem, verum etiam inſallibilem certitudinem* aliun-  
dè aſſeruit, dùm videlicet Sixti IV. Conſtitu-  
tiones, & Concilij Tridentini, illas innovan-  
tis, & obſervari mandantis decretum ipſe cõ-  
firmavit. Vide hæc de re Illuſtriſſimum Ar-  
chiepiſcopum Granatenſem, D. Antonium  
Calderonium in Apologetico, pro titulo Im-  
maculatæ, c. 5. §. 2. à n. 10. & alios.

¶ Præterea, hæc obijcientem amicè mo-  
neo, vt animum advertat, poſt decretum Gre-  
gorij XV. & multò minùs poſt editum S. D.  
N. diploma, abſq; eorum tranſgreſſione hanc  
propoſitionem *opinio affirmativa eſt probabilis,*  
animo, formaliter adverſario efferri, ac pro-  
nuntiarì nullatenus poſſe. Cùm aſſerēs huius-  
modi *probabilitatē*, probabilia extare illius opi-  
nionis fundamenta hoc ipſo adſtruat, & ta-  
men illa ( vt iubet Pontifex ) illicò haud diſ-  
ſolvat, ac diſſoluta relinquat.

¶ Denique, ſi dicas, *ſenſum internum*, à Põ-  
fici-

tificibus, ac etiam a S. D. N. vocari *opinionem*; adeoque illum eſſe licitum. Reſpondetur, verum eſſe antecedens, at falſum conſequens; meminiffe adverſarios oportet, etiam propoſitiones, erroneas, temerarias, ſcandalofas, & aperte falſas paſſim à Pontificibus, Concilijs, & Theologis vocari *opiniones*; ac proinde ex hac voce non rectè inferri, licitum eſſe cuiuſcunque *opinionis ſenſum internum*. Aliundè ergò Anonymi hoc ſuum probare debent intentū. Nos verò opinionem contrariam nullà cenſurà afficientes; *falſam duntaxat*, ex communi Theologorum ſententia, eſſe pronuntiamus, ac, vt reor, part. 2. §. 8. & ſequentibus, patenter evicimus. Ex quibus omnibus apparet, licentiam illam, *interius*, pro arbitrio *ſentendi* oppoſitum *cultui*, ac *ſententiæ piæ*: non eſſe vltro datā, à Pontificibus; ſed immerito uſurpatam ab adverſarijs.

## P A R S V.

*Examinatur quarta propoſitio adiecta.*

**P**oſtquàm ea, quæ V. M. circa examen *triſe propoſitionum* mandare mihi dignata eſt, pro

pro tenuitate mea congeſſiſſem, intellexi; aut eorundem dictarum propoſitionum Authores, aut alios nonnullos eiufdem genij (favores, & gratias Apoſtolici Brevis leui manu, & affectu, parùm benevolo pertractantes) ſparſiſſe in vulgas, nos, *piæ ſententiæ* adhærentes, *eius planè etiam nūm ſtatū*, & *conditionis eſſe*, prout ante illius *diplomatis evulgationem fueramus*, nec cuiſvis ullis prerogatiuis gaudere, eò quod hæc Bulla noui aliquid nullatenus contineat.

¶ Et licèt hæc aſſertio, tam à veritate aliena, rationiquè obſiſtens, ſatis in prioribus conuicta videatur: Tamen, vt nihil omittamus, quo hi homines ad ſaniorē mentem reduci fortaliſis poſſint; breviter, & curſim, quid nàm hoc Breve Pontificium *novi* attulerit annotabimus; tūm, vt gratiæ per illud cōceſſæ amplitudo omnibus appareat, quàm V. M. ſuo Catholico, & pio zelo eſt conſecuta: tūm vt adverſariorum, veritatis radijs adverſantium continuata renitentia ampliùs innotefcat. Verè enim error (perhibente S. Epiphania, contra hæres: de Iudaif. Oſſenon: hæres:

19.) *ſemper pertinax eſt, & ad fraudem promptus*. Sit igitur.

Quidnam de nouo afferat Apoſtolicum S. D. N. Alex-  
andri VII. diploma?

**P**riusquàm verò ipſius Bullæ contextu  
ac noua Pontificiæ Conſtitutionis fancita  
oſtendamus, non poteſt non circumſtantia, & mo-  
dus ille eſſe nouus, & admiratione dignus, quo  
hoc Breue ad Catholicam Maiestatem, per  
Epiſcopum Placentinum, eius Legatum Sum-  
mus Pontifex tranſmiſit; quòd nempè à capi-  
te ad calcem propria Summi Pontificis manu ſit  
exaratum; quà ratione, neſcio, an vnquam  
aliàs Sedes Apoſtolica vllam eiufmodi Bul-  
lam expediuerit.

¶ Cui illud quoquè nouum valdè accedit,  
quòd, cum dictus Regius orator, nomine Ca-  
tholicæ Maiestatis pro expedito Apoſtolicò,  
& adeouſq; favorabili, ac à ſua Maiestate, &  
Eccleſia vniverſa, tam exoptato diplomate  
debitas acturus gratias ſuam Sanctitatè adijſ-  
ſet, ſua Sanctitas loquentem interrumpens, ac  
veluti anticipans, plenusquè gaudio, ac læti-  
tià hæc formalia edixerit: Tandem (inquiens)  
venit plenitudo temporis: Egimus in hac cauſa, non  
cauſæ aduocatum, ſed contrarium, & aduerſarium;  
imò

imò, & refractarium, conſiderauimus totum negotium  
intus, & foris, dextorsum, & ſinistroſum, ſapius  
diſcuſſimus, orationes ante Deum fudimus; & tan-  
dem annuente, & inſpirante Domino ad expeditio-  
nem Conſtitutionis deuenimus: quam per quatuor men-  
ſes ſub imagine Sancti Crucifixi habuimus, Domi-  
num deprecantes vt id, quòd magis expediens eſſet  
pro Eccleſiæ bono nobis inſpiraret. Poſtremò, die ip-  
ſa Sanctiſſimæ Conceptionis ad implorandum Diui-  
num auxilium Miſſam celebrauimus, & Conſtitutio-  
nem ipſam in Altari ſub Sacris linteaminibus colloca-  
uimus, ſacroquè ſuſcito ſubſcripſimus. Tibiquè testa-  
mur, quòd, ſi vel minimum circa rem hanc dubium  
nobis occurrifſet, non ſubſcripſiſſemus. Hæc omnia  
ſuæ ſanctitatis dicta, vti & aliæ diplomatis  
circumſtantiaſ ſatis ſuperquè demonſtrant,  
eam omninò, & ex toto veluti nouam eſſe, ſin-  
gulariquè veneratione digniſſimam.

¶ Primò igitur pro ſuæ Conſtitutionis in-  
greſſu promulgat declaratquè Pötifex (quòd  
nemo Prædeceſſorum expreſſè præſtitit) pie-  
tatem Chriſti fidelium gratiam originalè Vir-  
ginis venerantium multa antiquitate gaudere: ſa-  
nè vetus eſt: Cuius cū nullū aſſignet principiū,  
ſatis declarat eſſe, cōſuetudinè per vetuſtam, à tradi-  
tione, ſi non Apoſtolica, ſaltem Eccleſiaſtica  
deſcendentem. Quam proindè, vigorè huius  
clauſulæ nemo hodièquè audebit negare, qui

non clarum, ac manifeſtū eius ſibi fidat aſſi-  
gnare principium.

¶ *Secundò* declarat hanc *vetuſtam pietatem*  
*inditam* fuiſſe animis fidelium, ad venerandā  
*gratiam primi iſtantis creationis animæ Virginis*, ab  
*originali labe præſervatæ.*

¶ *Tertiò*: Quod hæc *pietas*, & *veneratio*,  
non ſolū intra fidelium corda conſtiterit;  
ſed quòd innumeræ *Eccleſiæ particulares*, taci-  
tè conſentientibus *Summis Pontificibus*, cul-  
tu publico eam celebrarint.

¶ *Quartò*, quòd pro honore, commenda-  
tione, & defenſione huius *pietatis*, ab aliquibus  
graviter, & iniuſtè oppugnatae expediverit  
*Sixtus IV.* ſuas *Extravagantes*, animo illā tuē-  
di, ac promovendi.

¶ *Quintò*: quòd deinceps ampliùs *incrementum*  
acceperit hæc *pietas*, & *cultus* in *Eccleſia*,  
veluti fructum, collectum, ex virtute, & cul-  
tura dictarum *Conſtitutionum Sixtianarum.*

¶ *Sextò*: Quòd *Concilium Tridentinum* illas  
confirmaverit, & obſervari mandaverit, eodē  
animo, ac modò, quo eas *Sixtus* fuerat elar-  
gitus.

¶ *Septimò*: Quòd *Paulus V.* in ſua *Bulla*  
eandem habuerit *intentionem*, & *animum*, quem  
*Sixtus*, ad quem conſequendum prohibuit diſpu-

tatio-

*tationes publicas*, ac *ſermones*, qui *Virginis gratiæ*  
*originali favorabiles* non eſſent.

¶ *Octavò*: Quòd *Gregorius XV.* proprio  
motu, eadēquè *intentione*, animo, & zelo  
*Bullam* ediderit, in qua confirmavit *Sixi*, &  
*Pauli conſtitutiones extendens ſilentium*, adver-  
ſarijs iam antea impoſitum, etiam ad *privata*  
*colloquia*, adiungens inſuper *prohibitionem*  
*uſus cuiuſcunquè alterius vocis*, præterquàm  
*Conceptionis*, tanquam *proteſtatiæ gratiæ origi-*  
*nalis Virginis*, in *Miſſa*, ac *Divino Officio* ad-  
hibendæ, quo oſtendit fuiſſe animi ſui promo-  
vere, augere, ac favore proſequi hanc *pietatem*,  
*cultum*, & *venerationem*, &c.

¶ *Nonò*: Quòd *Religioſus ordo*, ſub titulo  
*Immaculæ Conceptionis* erectus, *Apoſtolica au-*  
*thoritate* fuerit approbatus, ad *venerationem*  
& *cultum gratiæ originalis Deiparæ Virginis.*

¶ *Decimò*: Quòd in eundem *Scopum* col-  
limaverit erectio *diverſarum confraternitatum*,  
ſub eodem titulo, & *veneratione à Sede Apo-*  
*ſtolica approbatarum.*

¶ *Undecimò*: Quòd *indulgentiæ* in hunc finē  
*fidelibus conſeſſæ* ſint, vt animi *Catholicorū*  
ad maiorem *reuerentiam*, & *cultum huius originalis*  
*gratiæ*, tanquàm præmijs ad eum amplectendū  
inuitarentur.

¶ Dro-

¶ **Duodecimò**: Quòd eiusmodi gratias, & indulgentias consequebantur, recitatione Officij, instituti à Sixto IV. quòd declarat Pontifex fuisse *Immaculate Conceptionis*, & *preservationis* *Deiparæ Virginis*.

¶ **Tertiodecimò**: Dat testimonium de novo augmento, & incremento istius pietatis, Religionis, & cultus: *Aucta est rursus* (inquit) & *propagata* eoque, non, vt casuali, sed vt fructu, ac proventu, à Summis Pontificibus intento, & peculiari animi voluptate, ac lætitià, à ferè vniversis Catholicis *sententiam piam* amplexantibus collecto.

¶ **Decimoquartò**: Iteratis vicibus nostram *sententiam* declarat esse pietatem, & deuotionem Religiosam. Et quia eiusmodi est, suum favorem, auxilium, protectionemq; eidem pollicetur: *volente squè fauere, necnon, & tueri, &c.*

¶ **Decimòquintò**: Pontificio testimonio confirmat, quòd hic cultus sine mutatione variatione, atque alteratione perseveraverit in Dei Ecclesia: *cultu*, post ipsius institutionem nunquam immutato. Quo evanescit omnis ea structura libellatorum Romanorum, quàm supra huius vocis (Conceptio) significatus mutationem, à Gregorius XV. factam esse falsò fundare sunt conati.

¶ **Decimosextò**: Manifestat, quòd fideles hæctenus *in pacifica quasi possessione*, sentiendi, & colendi *Deiparam Virginem* cum originali gratia fuisse conceptam perstiterint. Vbi notandum vocè *quasi* non esse diminutivam veræ possessionis, sed distinctivam possessionis corporalis, à spirituali. Idemquè efficit, ac si *absolute pacificã* fidelium istius pietatis, ac cultus *possessionem* declarasset. In quo prætereà obiter demonstrat Pōtifex æstimationem, & amorem, quo fideles huic pietati adhærebant, quando muneris sui esse ostendit eos in hæc sua possessione manutene, ac protegere; vt potè in re, ipsi gratissimà, & gloriosissimà; nemo enim protegi desiderat nisi in re, quã sibi ducit honorificam, debitam, & sui iuris.

¶ **Decimosseptimò**: Testificatur Pontifex, quòd in partem huius pietatis, & possessionis venerint *celeberrimæ* quæquè *Vniuersitates* Catholicæ; *accedentibus* quoquè *plerisque celebrioribus* *Academijs* ad hanc *sententiam*. Quales verò, & quantæ sint inter has, quæ se etiam voto, ac iuramento emisso huic celebrandæ *pitati* addixerunt videri poterunt in libro R. P. Fr. Petri de Alba *Astorga de Militia gratiæ Originalis Virginis* contra *malitiam Originalis culpæ*, verbo *Academia*, & in *Armamentario Seraphico*.

Decimodécimo declarat Pontifex: quòd huius pietatis sensus, tam altas in cordibus fidelium radices fixerit, vt sit ferè vniversorum in ferè omnes Catholici eam amplectantur. Declaratio sane magna, quã solus potuit facere Summus Pontifex, vt Christi Vicarius, & organũ Spiritus Sancti.

¶ Decimononò declarat, idquè vult cõstare toti Ecclesiæ Catholicæ, quod hæc pietas, cultus, & festiuitas gratiæ primi instantis creationis animæ Virginis intellecta fuerit, à tota Romana Ecclesia in hac celebritate, ab eo tẽpore, quo hoc festum coli, & celebrari cœpit. Et quamvis nõ lateret suam sanctitatem esse aliquem, vel aliquos, qui huic pietati non assentirent; nihilominus tamen quoad iudicium, & sensum totius Ecclesiæ horum pauculorum discrepantia ad eò nihil pensi habebatur, vt nequè prodesse illi, nequè obesse posse iudicarentur, sine quorum nempè suffragio infallibile Ecclesiæ iudicium circa hanc veritatem incorruptum semper cõsisteret. Et quamvis eorum quoquè curam gesserit, tanquam in suorum filiorum numero comprehensorum; quoad iudicium tamen ac declarationem huius pietatis, ac cultus (quod soli Apostolicæ Sedi competebat) eos usquè dequè habuit, eorum porrò vota mo-

ra-

rabatur, argumentũ, clarum ad quod variandum hoc suum iudicium illi, nec numerum adferebant, nec pondus.

¶ Vigésimò declarat; quòd etiam nũm perducent scandala, orta suorũ antecessorum tẽpore ex assertione opinionis contrariæ: & ne deinceps porrò serpent veretur. Quà declaratione remediũ nobis pro præsentis insinuat efficacissimum, nempè abhorre ab opinione, peccatum Virginis adstruente, vtpotè scandalorum in Ecclesia Seminario, & quidem actiuorum, siquidem, vt talia à Pontifice remedium providente, dolenter referuntur.

¶ Hæc omnia in controuersia vocabant; hætenus Bandellus, Cayetanus, Spina, Harpalegus, & postremò Romani libellatores omnia contraria huic declarationi Pontificiæ asseverantes. Nunc verò præsentis hæc Summi Pontificis Constitutione dirempta est lis omnium præfatorum punctorum in nostrum favorem, quæ proindè est declaratio noua, ac talis, vt nunquam in alia Pontificia Bulla eiusmodi (saltè ad eò clarè) emanarit.

¶ Vigésimoprímò: Progreditur Pontifex ad alias dispositiones, quæ in alijs Bullis Pontificum non reperiuntur ad hanc suam stabilendam: & præcipit, vt non solum non directè, sed

ff

nec

*Examinis Theologici.*

nec indirectè quidem asseri possit aliquid, *piae sententiae festo, ac cultui contrarium*. Quod postremum ad verbum in nulla alia Constitutione Pontificia invenitur, tantumquè complectitur, ut, si id inquieti Anonymorum animi præ oculis habeant, facile perspicient, quo in periculo versentur.

¶ *Vigesimo secundo*: Extendit has clausulas (*directè, & indirectè*) etiam ad occasiones occurrentes circa *Sacrae Scripturae interpretationem*: ut universi eiusdem interpretes intelligant, non posse reperiri in illa aliquid, quod huic suæ Constitutioni opponatur.

¶ *Vigesimo tertio*: Mandat, ut nulli liceat interpretari *directè, aut indirectè aliquem Patrem, aut Ecclesie Doctorem*, contra hanc pietatem, & cultum; supponendo in eorum nullo contrariam opinionem reperiri posse.

¶ *Vigesimo quarto*: Ad eò constringit, & arctat, hoc præceptum, ut præcipiat, neq; prætextu definibilitatis huius mysterij examinandæ cuiquam licere *directè, vel indirectè contrariam manifestare opinionem*.

¶ *Vigesimo quinto*: Ianuam omnem, adituq; manifestandæ contrariæ opinioni ita firmiter occludit, ut non sit rima, vel modus imaginabilis *ullo excogitabili modo contraveniendi*, qui in

hac

hac constitutione comprehensus non intelligatur. Ex quo demonstrat hoc Breve mirificè *piae sententiae, & cultui favere*.

¶ *Vigesimo sexto*: Quia fortè nō nemo posset, verbo, aut scripto referre *aliquid argumentis* in contrarium id est contra *piam sententiam, & cultum*: mādāt, ut nullus ausit eiusmodi in medium afferre, quin id illicò dissolvat; ac proindè protestatur non posse adduci in favorem contrariæ partis qualemcunquè authoritatē, aut Breviarij, aut Bullarum Pontificiarum, Patrum, Doctorum, Theologorum, aut rationum, quin dissolvi illicò debeat, adeòquè forsitan allata, alicuius momenti non esse. Hoc autem pacto adversarios planè ab omnibus suis fundamentis deturbat, ijs pro frivolis, & nullius momenti declaratis: quia quæcunque attulerint, sive Divi Bernardi, sive Sancti Thomæ, aut alterius cuiuscunque pro contrario sensu, necessè est, ut illam diluant, ac eneruem ostendant, uti & reliqua omnia, quæ proferre possent argumenta.

¶ *Vigesimo septimo*: Ad hunc eundem finem prohibet *libros scriptos*, à Paulo V. hucusquè, quibus *in dubium tracta fuisset sententia pia, vel cultus, aut festum Immaculatae Conceptionis*. Quo loco advertendum est Pontificem non solū pro-

Fff 2

hi

hibere libros, qui in dubium revocaffent *feſtum*,  
& *cultum*; ſed etiam ipſam ſententiam *piam* ni-  
mirum aded̄ uſquē indubitabile voluit eſſe  
Pontifex vtrumquē in Eccleſia: favor profe-  
cto vti rarus, ſic & *novus*.

¶ *Vigefimò octavo*: Revocat *Priivilegium*, da-  
tum à Gregorio XV. certis quibusdam Reli-  
gioſis diſputandi, nō quidem coram alijs qui-  
buſvis, ſed *inter ſe ſolos*, vt appareat nolle Pon-  
tificem opinionem contrariam, vel in ore cu-  
iuſquam verſari, aut aure percipi amplius.

¶ *Vigefimonoſo*: Vetat, vt nemo audeat af-  
ſertivè dicere, contrariae opinionis *Autbores* in-  
currere crimen *Hæreſis*, aut peccati mortalis;  
aut opinionem ipſam (quæ peccatum originale  
Virginis adſtruit) *hæreſis*, peccati mortiferi,  
aut impietatis *damnare*. Quo fit, vt totam liber-  
tatem relinquat ſentiendi, & agendi contra  
eos *Authores*, qui ſentirent, vel aſſerent,  
quòd *Eccleſia non celebret, nec celebraret gratiam*  
*originalem Virginis*: & contra alias opiniones, &  
propoſitiones, adverſus, *cultum, feſtum, eiſquē*  
*obietum*; *Religiones, Indulgentias, Divina Officia Pō-*  
*tificis, & Eccleſiæ intentionem fortè dimicantes*. Nam  
contra eiſmodi, & eorum opiniones inſur-  
gere, & cenſuris (hæreſeos excepta) obſtri-  
ctas aſſerere non prohibet, vt iam ſæpiùs mo-  
nui-

nuimus. Si enim hi *Authores* tantum ſentire  
poſſent contra *cultum*, quantum contra *piam ſē-*  
*tentiam*, neceſſè erat, vt quod prohibeat de  
vno Pontifex prohiberet, & de altero, & vi-  
ciſſim, Sicut ait S. *Hieronymus lib. 1. contra Iouia-*  
*nianum in Apologia ad Pamachium: quidquid equaliter*  
*licet, aquà lance penſandum eſt*. Prohibet itaque ſua  
*Sanctitas condemnari* opinionem peccati origi-  
nalis Virginis, *ſententiæ piæ* contrariam: non  
verò vetat cenſuris notari opinionem, *cultui,*  
& *feſto* oppoſitam. Cū igitur hoc non ſit pro-  
hibitum, ſed licitum, illud autem interdctū,  
& illicitum, *manifestum* evadit, quod nō po-  
nat vtrumquē Pontifex in æquali *pietatis*, ac  
certitudinis gradu quoad nos.

¶ *Trigefimo*: *Transgreſſoribus* adiungit  
pœnas inhabilitatis, & alias, dicta in Bulla, &  
litteris Apoſtolicis contentas: *Volentes, quòd*  
*contra*.

¶ *Trigefimoprimo*: Poſteaquàm *manifestum*  
feciffet omnibus Chriſti fidelibus, tâquam le-  
gitimus omnium *Pæſtor*, animum ſuum, ac inten-  
tionem in hac *Conſtitutione* eſſe, velle defende-  
re, protegere, tueri, favore proſequi, *piam ſenten-*  
*tiam, cultum, & feſtum*. Hanc eandem ſuam  
mentem præcipit toti Eccleſiæ notoriam fie-  
ri, vt autem (inquit) *hæc noſtra Conſtitutio, &*  
*præ-*

*præmiſſa omnia, &c. minimè perſuadens futurū, ut quæpiam ovicula ſit in ſuo ſenſu adeò pertinax, aut ſurda, quæ Paſtoris ſui vocem non audiat, illiq; obedire detrectet, dicente Chriſto oues meæ vocem meam audiunt.*

¶ *Trigeſimoſecundò* : Tota iſthæc Pontificia Conſtitutio, aut eſt diſpoſitio noua, aut inno- uatio præteritarum, aut declaratio partim verbalis, partim realis, eorum omnium, quæ modo retulimus. Vndè luce clariùs apparet, quàm ſine cõſideratione aduerſarij, & in adeò gravi materia omniu: nquè oculis expoſita fucum facere vniverſis nitantur, volentes, ut cum Saulo apertis oculis nihil videamus, quòdquè nec audivimus, nec vidimus vnquã, nouum non dicamus. Profectò, vel ſola Bullarum antecedentium Pontificum inno- uatio ſenſuque earundem, atquè intentionis, & obie- cti feſtivæ celebritatis declaratio, oculo non infirmo noua videri, atquè inaudita poterat, niſi fortè nouiter non legerint, quòd ut an- tiquum condemnant; aut vetera ſcire ſolum velint, ut ignorent

*noua.*

§. II.

§. II.

*Examinatur quarta huius proſitionis cenſura Theologica.*

**E**X dictis liquet, præfatam proſitionem eſſe apertè falſam, ac omninò videri ſeditioſam, ſcandalofam, & piarum aurium offenſiuam conſtat (inquam) ex ijs, quæ ſecunda, & ter- tia proſitione diximus, ad quarum cenſuras reducitur iſta.

¶ *Secundò* videtur temeraria, quia eviden- ter ex Breui ipſo liquet, ibi aliqua noua repe- riri: ut prohibitionem librorum, declarationem obie- cti cultus, animi Pontificij, piam ſententiam, feſtum, & cultum defendendi, & protegendi (ut de alijs prætereà nouis, p. 1. §. 2. 3. & §. ſu- periore allatis ſileamus.) Dicere autem hæc non ita eſſe, aperta temeritas videtur.

¶ *Tertiò*: Eſt apertè illuſoria, quia Ponti- ficem, Cardinales, Eccleſias, & Regna Hispa- niæ, ut nugaces reputat, & illuſos, eò quòd ſi- bi datum noui aliquid omnes exiſtiment, cum datum ſit nihil. Conſequenter flocci pendit totum id, quòd movit vniverſas Hispaniarū Eccleſias ad nouam animorum lætitiã, novis, ac publicis ſignis manifeftrandam. Et fanè res

*admi-*

admiratione digna est, quod omnes reliqui sint illusi, & illi soli, si Deus placet desuper illuminati (vt sibi blandiebatur olim Bandellus, in conclusione primi tractatus.) Cæci igitur reliqui fideles in luce Ecclesiæ palpant tenebras, & illi soli, in tenebris meridiem repererunt? Quod, si hoc non est illudere, dicat quid aliud fit, vt competentem eis queamus inter censuras locum assignare?

¶ *Quartò*: Ex eodem capite iniuriosa est Pontifici, Regi, Regnis, Ecclesijs, Capitulis, Episcopis, & alijs inibi enumeratis, quia omnibus per quartam hanc propositionem calumnia, & iniuria infertur.

¶ *Quintò*: Habet omnes qualitates scandalosæ, quia cum propalatum sit omnibus statibus, ac populis, Pontificem particulares gratias, & favores, novos, ac singulares piæ sententiæ, fisti, & cultus novæ constitutione evulgasse, voluisse quæ id omnibus constare. Si iam audiant nihil horum esse, & in re ad cultum

Dei pertinente omnibus esse illusum, an non graviter scandalizati dicent, com-

pulsatum esse omnibus Campa-  
nis, & nullum festum  
secutum.

**P**rimò: Contravenit, in quantum manifestè revocat in dubium sententiam piam; in dubium inquam, in quo apud adversarios extiterat antè hanc Bullam; etenim si hæc Constitutio nihil novi affert resquæ sint in eo statu, vt fuerunt, redit dubium ad eundem quoque statum, quo ante hanc Bullam apud ipsos fuerat.

¶ *Secundò* contravenit. Quia modò manifestè constat, tum mens præcedentium Pontificum, tum obiectum cultus, nempe datum esse cultum, & festivitatem primo instanti gratiæ Virginis, quod antea cum hac claritate non constabat. Et si nihil novi hæc constitutio contineat, liberè dicere, ac asserere id totum poterunt, adversarij, quod olim libellatores Romani; quia post ipsos nihil extat, quod eos repulerit, si non sit hoc Breve, quod ipsos (contra sententiam piam, mutationem cultus, & significationem vocis Conceptio, Officia Divina, Religiones, & Confraternitates, Indulgentias, &c. differentes) totidem expressis clausulis compescit. Quæ omnia, si nihil novi afferunt, causam vtriusquæ

partis antiquo ſtare loco manifeſtū eſt, quòd tamen dici non poteſt.

¶ Tertio: Contravenit expreſſè Bullæ, quantum ad impoſitum ſilentium. Quia dicendo, nihil hæc Bulla novi adfert, planè affirmatur, quòd peccatum originale, & gratia B. V. adhuc dubio Marte decertent. Adeòquè iam loquuntur, quòd nec debent, nec poſſunt abſquè pœnarum, ac cenſurarum incurſione.

¶ Quarto: Eſt clara Brevis tranſgreſſio, quia dum dicunt, nihil adferre novi: negant Pontificem aliquam præſtitiffe gratiam, in favorem exemptionis *Deiparæ Virginis, cultus, & feſtivities*. Quòd prohibitum eſt, & dicere, & ſentire. Vetatur enim, ne quis intentet hunc favorem fruſtrari quoquomodo, quòd certè nõ fit efficaciùs, niſi quando, iam factus abſolutè negatur exhibitus.

¶ Sed manum tandem à tabulâ remove-  
re oportet, atquè per elegantiam, & huc multū  
facienti dicto S. Hieronymi paginam claudere,  
qui à quibuſdam ſapientibus notatus, quòd  
in expoſitione Epistolæ Sancti Pauli contra  
matrimonium plus æquo calamus exacue-  
rit, ſic reſpondet. Nunc verò, cum Interpretis ma-  
gis Apoſtoli fuerim, quàm Dogmatifte, & Com-  
mentatoris ſim uſus officio, quidquid durum videtur,  
ei

ei magis imputetur, quem expoſuimus, quàm nobis, qui expoſuimus. Niſi forte ille aliter dixit, & nos ſimplicitatem verborum eius malignâ interpretatione detorſimus. Qui hoc arguit, de ipſis Scripturis probet. Hoc ipſum nos benevolam lectorem rogamus, ut antequàm in nos aliquam condemnationis ſententiam intorqueat, ex ipſa Pontificia Conſtitutione reos nos oſtendat: non enim refugimus illi nos cęſuræ ſubijcere, quo cupimus alios emendari.

¶ Diximus, quæ ad allatarum quatuor proſitionum, refutationem, & Brevis Apoſtolicæ intelligentiam neceſſaria videbantur, unde, niſi illud culpes; aut fidem meremur, aut ſiniſtræ interpretationis afferri teſtimonium ex illo debes. Ita enim comparati ſumus, ut dum falſitatem corrigimus, vinci, à veritate cum citato Eccleſiæ Doctore non refugiamus, ſic, in fine libri contra Luciferianos loquente: *Vterquè noſtrum palmam refert, tu mei, ego erroris (nos dicimus, falſitatis) vitanam mihi ſic ſemper diſputare contingat, ut ad meliora proficiens deſeram, quòd malè tenebam. Vnum tamen tibi conſiteor, quia mores meorum Anonymorum apprimè novi, faciliùs eos vinci poſſe, quàm perſuaderi.*

¶ Atquè hoc eſt Sanctiſſime Pater, quòd iuſſu Maieltatis Catholicæ, circa traditas mihi

*Examinis Theologici.*

Propositiones adferendam putavi; quæ omnia, & ynà me totum Sanctæ Matris Ecclesiæ, vestraque Sanctitatis pedibus iudicio, atque correctioni humilis, ac indignus filius subster-  
no. Singulari quidem titulo ex eo Virgini obstrictus, quod primi mei Ordinis Patres se Magnæ Matris, ac Sacro huius Mysterij Cultui totos dicaverint, nullusquè hætenùs ex eorum filijs extiterit, qui pro *Immaculata Beatæ Virginis Conceptione* ex hac parte non steterit. Sed publico, multò amplius debeo, singulari nempe zelo, & laudatissimæ pietati Sanctitatis vestræ, cuius opera, ac divino planè nuper edito diplomate Virgini in Cœlis Supremæ, suus quoquè in terris Originalis puritatis honor non solum integer, ac inviolatus defenditur, verùm etiam mirificè auge-  
tur. Perennet hæc Sanctitatis vestræ in Dei Matrem pietas: id enim erit Sedi Apostolicæ, Beatitudini vestræ, & Ecclesiæ univèrsæ gloriosissimum, si Pontificum suorum operà Dei Mater ab omni omnino labe, etiam originali in plenam Innocentiæ, & gratiæ Originalis libertatem ab univèrsis vindicetur.

*Omnia ad maiorem Dei gloriam, & Dei paræ Virginis, absque labe Originalis peccati, & in gratia conceptæ honorem.*

INDEX. PARTIVM, ET PARAGRAPHORUM, qui in hoc Opusculo continentur.

*Constitutio SS. D. N. Alexandri VII. fol. 1.*

PARS I.

Prolegomena.

- §. I. *Tres propositiones Aduersariorum examinandæ proponuntur fol. 6.*  
§. II. *Intentio Bullæ Pontificiæ expenditur fol. 7.*  
§. III. *Notantur aliqua specialia circa Bullam, fol. 10.*  
§. IV. *Compendiosa totius Bullæ expositio, fol. 17.*  
§. V. *Referuntur variæ acceptiones, ac significationes huius vocis Pietas, fol. 24.*  
§. VI. *De certitudine, eiusque diuersis generibus, & gradibus, fol. 29.*  
§. VII. *Afferuntur variæ acceptiones, genera, & gradus, Definitionis, & Declarationis, fol. 32.*  
§. VIII. *Resoluuntur nonnulla ex dictis paragrapho præcedenti, fol. 60.*  
§. IX. *Respondetur ad questionem paragraphi VII. initio propositam, fol. 70.*  
§. X. *Satisfit argumentis supra §. 7. adductis, fol. 73.*

PARS

PARS. II.

Examinatur prima propositio iuxta varios significatus huius vocis *Pietas*. fol. 78.

- §. I. De Pietate iuxta sensum, & acceptionem Bandelli, fol. 79.  
§. II. De Pietate apparente iuxta Cayetanum, fol. 90.  
§. III. De Pietate probabili, cuius opposita sit magis probabilis iuxta Harpalegum, fol. 96.  
§. IV. Examinatur equalitas Pietatis, vnius ac alterius partis, fol. 101.  
§. V. De Pietate, quæ absolute est maior, quam opinionis oppositæ, attamen errori, ac deceptioni etiamnum subiecta fol. 103.  
§. VI. Examinatur Pietas, moraliter evidens, ac certa, fol. 105.  
§. VII. Examinatur Pietas physicè certa, fol. 107.  
§. VIII. Examinatur Pietas Theologo-Metaphysica, fol. 111.  
§. IX. Examinatur Pietas Catholica, fol. 132.  
§. X. Examinatur Pietas de Fide, fol. 136.  
§. XI. Examinatur Pietas, quæ dicitur Religiosa, fol. 137.  
§. XII. De Pietate in quantum est virtus moralis specialis, fol. 138.  
§. XIII. De Pietate prout vnū est ex donis Spiritus Sancti, fol. 139.  
§. XIV. De Pietate deuota, fol. 140.  
§. XV. De Pietate, quæ dicitur institutio Ecclesiæ, fol. 142.  
§. XVI.

- §. XVI. De Pietate, quæ est Charitas, fol. 142.  
§. XVII. De pia affectione, fol. 143.  
§. XVIII. De Pietate impietati opposita, fol. 144.  
§. XIX. De Pietate opposita ei, quod non est pium, seu quod est non pium, fol. 146.  
§. XX. De Pietate opposita illi, quod non satis est pium, fol. 147.  
§. XXI. De Pietate, vt opposita illi, quod est minus pium, fol. 148.

PARS III.

Examen secundæ propositionis.

- §. I. Præmittuntur quædam ad secundæ huius propositionis examinationem opportuna, fol. 152.  
§. II. Probaturs falsitas huius secundæ propositionis, fol. 153.  
§. III. Quenam censuræ Theologicæ huic secundæ propositioni inesse videantur, fol. 155.  
§. IV. Examinatur dicta secunda propositio, in quantum Pontificio Breui contraria, fol. 158.

PARS IV.

- Tertiâ Anonymorum propositio ad examen revocatur, fol. 160.  
§. I. Aduertentia præmissa, ibidem.  
§. II. Examinatur sensus priorum verborum allegatæ tertiæ propositionis, fol. 162.  
§. III.



§. III. Roborantur dicta ex Concilio Lateranensi primo,  
fol. 167.

§. IV. Referuntur varia decreta à Serenissimo Rege Ca-  
tholico ad diuersos in fauorem huius Mysterij expedi-  
ta, fol. 176.

§. V. Examinatur censura Theologica primæ partis ter-  
tiæ huius propositionis, fol. 179.

§. VI. Examinatur secunda pars huius propositionis, nū  
hoc sit, vel non indirectè contra Bullam, fol. 182.

§. VII. De tertiæ huius propositionis parte, idest  
de interiori opinionis contrariæ sensu, an is sit licitus  
necne? fol. 186.

§. VIII. Respondetur obiectis, fol. 195.

#### P A R S V.

Examinatur quarta propositio adiecta!

§. I. Ostenditur quidnam noui attulerit diploma S. D. N.  
Alex. VII. fol. 201.

§. II. Assignatur censura Theologica huius propositionis,  
fol. 208.

§. III. Contranentio Bullæ, fol. 209.



